COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.

VOLVMINIS XXXIII. PARS III.

LIPSIAE, MDCCXCI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi Iunior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Mediolani apud Iof. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Guibert et Orgeas, Florentiae apud Iof. Molini, Holmiae apud M. Swederum, Lisbonnae apud M. Borell et Socios, Lausannae apud I. H. Pott.

I.

Atti della reale accademia delle ſcienze e belle-lettere di Napoli. Dalla fondazione ſino all' anno MDCCLXXXVII. In Napoli, MDCCLXXXVIII. Preſſo Donato Campo, ſtampatore della reale accademia. 4. pagg. XCVIII. et 372. cum tabb. aenn. 19.

i. e.

Acta academiae regiae Neapolitanae ſcientiarum et literarum elegantiorum, inde ab eius fundatione vſque ad annum MDCCLXXXVII.

Dicatum eſt hoc volumen ab ANTONIO PIGNATELLI, academiae praeſide, FERDINANDO IV, regi Siciliarum, auguſto academiae Neapolitanae fundatori.

Prooemium hiſtoricum conſignauit PETR. NAPOLI-SIGNORELLI, perpetuus academiae ſecretarius. Stri- P. I – XCVIII.
ctim enumeratis ſtilo viuido literarum et artium, maxime in Italia, viciſſitudinibus, hiſtoria academiae regiae Neapolitanae exponitur. Fundata eſt regia auctoritate anno huius ſeculi ſeptuageſimo nono. Primum habuit praeſidem MICHAELEM IMPERIALI, Maiorem Domus (Maggiordomo maggiore) ac Principem Francauillanum. Hunc mox ſecutus eſt ANTONIVS PIGNATELLI, Princeps Bellimontanus. Academici, quos *Penſionarios* dicunt, viginti quatuor ſunt. Praeter hos magnus eſt numerus ſociorum tum exterorum tum incolarum.

Quatuor in claſſes academia diuiſa eſt. Ac primae quidem claſſi labores matheſin ac phyſicam ſpectant. Altera claſſi medicinae, chemiae hiſtoriaeque naturalis, quam late patent, curam ſuſcepit. Tertia

quartaque claſſis hiſtoriae, antiquitatibus, monumentis publicis etc. regni Neapolitani diluc̃idandis operam nauant.

Quid fundata academia tum ante terrae motu, qui Calabriam anno 1783 miſere deuaſtarunt, tum poſt illos a ſociis actum fuerit, curioſe fuſeque exponitur. Nos pro inſtituti noſtri ratione ex horum laborum recenſione pauca excerpemus.

p. L. Anno 1781. coram academicis VINCENT. PITAGNA, regius botanices profeſſor et academiae penſionarius, ſuper *ſalicornia* doctam lectionem adque civium ſuorum vtilitatem comparatam habuit, cuius haec eſt epitome. Vocabulum *ſalicornia* in veterum auctorum monumentis non legitur, tumque demum adhibitum fuit, cum Arabes Europam ingreſſi modum ſalem alcalinum e quibusdam plantis extricandi didicuiſſent. Plantae, quas Arabes nomine generico *kali* inſigniuerunt, et quae ſalem alcalinum exhibent, ſunt hae: 1) *ſalſola*, cuius plures ſpecies exſtant, maximaque *ſoda*, a BAVHINO dicta *kali maius cochleato ſemine*, itemque *ſatiua*, *kali minus* nominata; 2) *ſalicornia*, cuius iam duae ſpecies notae ſunt, *herbacea* ac *frutiosa*; 3) *meſembryanthemum nodiflorum* LINN., planta Aegypti indigena. Ambigunt, duae iſtae ſalicorniae, quod LINNAEO placet, vere ſpecie differant, an, quae eſt ſententia BAVHINI, TOVRNEFORTII, aliorum, duae ſint varietates vnius eiusdemque plantae. Poſteriorem noſter ſententiam amplectitur, creditque, hanc plantam in ſolo hieme inundato vere ineunte propullulare, inque terris exſiccatis perennem fieri. Abundat maxime in terris mari vicinis, in quibus aquae pluuiales ſtagnant, quasque mare intumeſcens inundat, qua re fit, vt ſale marino repleantur, ſicque ad plantam iſtam gignendam ferendamque aptae reddantur. Maxima eius vis ſponte creſcit in regni Neapolitani litoribus. Itaque ſi tantillum laboris ſtudii

que adhiberetur, ſpes eſſet certiſſima, meſſem plantae tam vtilis multo fore vberiorem. Hiſpani quidem ſalicorniam vere ſerunt, tertioque menſe poſt, vbi in iuſtam altitudinem excreuit, metunt, eadem, qua foenum, ratione ſiccant, comburuntque *). Quod exemplum vt ciues ſui imitentur, noſter diligenter ſuadet. — Adduntur variae obſeruationes ſuper natura vitri et ſaponis. Docte clariſſ. PETAGNA demonſtrat, artem vitri parandi Aegyptiis Graecisque notam fuiſſe. Primi inter Latinos auctores Lucretius ac Cicero vitri mentionem fecere. Poſt illos Plinius Tacitusque vitrum eiusque confectionem memorarunt. De arena alba vitreſcibili a Plinio memorata noſter accurate diſputat.

Anno 1783. ANTONIVS SEMENTINI, academiae ſocius ac regius profeſſor, ſuas de veſicae vrinariae ſphincte re obſeruationes cum academia communicavit, quibus FALLOPII, SANTORINI ac MORGAGNI deſcriptiones ſtructurae huius viſceris confirmantur. In membrana mere carnoſa, quae veſicam intus obducit, duo ſtrata fibrarum prorſus diuerſa, alterum exterius, interius alterum, conſpiciuntur. Prioris origo ſingularis eſt: huius enim fibrae per aliquantulum ſpatium tendinoſae ex facie externa lateribusque ſynchondroſis oſſium pubis oriuntur, inque ſeriem ſemicircularem locatae ſunt. Carnoſae fiunt, vbi partem ſuperiorem lateraque proſtatae attingunt: tumque in ipſam veſicam progrediuntur. Omnibus anatomicis audiunt fibrae veſicae longitudinales ſiue rectae. Alterum ſtratum conſtat ex fibris, quae non certam quandam viam inſiſtunt, ſed quoquouerſus excurrunt, variisque modis coëuntes ſpeciem retis maculis exiguis effingunt. Inde illae fibrae oriuntur, quae in veſicae collo vrethraeque initio varie conuolutae hunc locum ceteris magis carnoſum reddunt, ac ſphincterem, p. LIV.

*) BASTERI Opuſc. ſubſec. T. II. L. III.

rem, qui vulgo, ſed male, dicitur, efformant. Nonnullae harum fibrarum canalem membranaceum comitantur, qui cum tunica veſicae intima coniunctus vrethram format, totumque eius ambitum obducunt. — Praeter haec duo ſtrata carnoſa tertium ſtratum adeſt, cuius fibrae ſunt vere circulares, principiumque vrethrae circumdant. Hocce ſtratum illis interiacet, ac veri nominis ſphincterem huius aperturae conſtituit. Tertiam partem pollicis, ad ſummum vnum pollicem latum eſt, conumque truncatum refert. Pars latior poſtica eſt, cauumque veſicae ſpectat. — In femina etiam minus, quam in maribus, ſphincteris veſicae praeſentia poteſt in dubium vocari. Scilicet in feminis natura prouidens ſphincterem per totam vrethram hoc in ſexu ſatis exiguam extendit, quippe quae per totam ſuam longitudinem fibris tum circularibus tum longitudinalibus inſtructa eſt; vt recte mireris, nullam harum fibrarum ſphincteris vices obeuntium mentionem in anatomicorum libris fieri.

p. LVIII. Anno 1784. SALVATOR AVILA, penſionarius tertiae claſſis, de ſtatu ſplendidiſſimo agriculturae apud priſcos Romanos florente republica docte diſſeruit.

p. LXXVI Cum anno 1783. vehementiſſimi terrae motus Calabriam partemque Siciliae deſolaſſent, vt academia tum varios effectus tam atrocis phaenomeni ſcrutaretur eorumque explicationem naturae conuenienter dare poſſet, tum obſeruationes certas inſtitueret, quae hiſtoriam naturalem ac geographiam phyſicam illarum regionum illuſtrarent, clar. SARCONI, tunc academiae ſecretarius, vna cum penſionariis duobus, PACIFICO et FASANO, nonnullisque ſociis atque peritis delineatoribus locos vaſtatos viſitauit. Huic itineri praeter varias deſcriptiones particulares ac meditationes phyſicas penſionariorum laudatorum, quas academia deinceps publici iuris reddet, debetur hiſtoria illorum terrae motuum, quam clariſſimus SARCONI diligen-

diligenter ſcriptam multisque figuris ornatam anno 1784. euulgauit *).

Vbi Abbatis VINCENTII MAZZOLAE, opticesp. LXX-
ſcientia clari, mentio fit, obiter narratur, eum vitra VIII.
lenticularia mirae paruitatis fabricaſſe, quorum ope reperit, ſanguinis particulas non globoſas, ſed figurae annularis eſſe, quae iam fuit ſententia Patris I. M. DELLA TORRE, ſed oppugnata et in dubium vocata, quod ille vitra ſphaerica adhibuerat **).

Anno 1783. NATALIS LETTIERI, profeſſor me- pag.
dicinae, diſſertationem latine ſcriptam Neapolique LXXX-
typis expreſſam, cuius titulus eſt: *de remedio febrifugo noſtrate cortici Peruuiano pari, vel forſan eo praeſtantiori*, academiae examinandam tradidit. Eſt haec aqua thermalis, quae ex ima parte collium leucogaeorum, quorum in vertice forum Vulcani ſitum eſt, ſeptentrionem verſus ſcaturit. Miram ei vim febrifugam ineſſe, multorum annorum vſus clariſſimum auctorem docuit. Vbicunque cortex Peruuianus adhibetur, haec aqua in eius locum cum ſucceſſu ſubſtitui poſſe videtur.

Iam nos ad diſſertationum hoc volumine contentarum recenſionem conuertimus.

Et primo quidem loco exſtant diſſertationes argumenti mathematici, quarum ſolos titulos adponemus.

I. *Solutiones nonnullorum problematum opticorum.* p. 1 –
Auctore NICOL. FERGOLA, *Neapolitano, academiae* 14.
ſocio. Praelectae in primo conſeſſu anno 1780. *habito.*

II. *Diſſertatio de curuis cauſticis. Auctore* HIERO- p. 15 –
NYMO SALADINI, *Canonico Bononienſi, academiae pen-* 37.
ſionario. Communicata cum academia anno 1781.

III. *Diſſertatio de compaſſo ſphaerico fabrefacto a* p. 39 –
IO. PAVLO ANDERLINI, *ſacerdote Bononienſi, labores* 46.

*) Prodiit folio et quaternis.

**) Conferantur b. FERBERI literae ex Italia ad ill. BORNIVM ſcriptae (*Ferber's Briefe aus Wälſchland*) pag. 122.

dirigente HIERONYMO SALADINI, *Canonico Bononienſi. Communicata cum academia anno* 1782.

p. 47–64. IV. *Diſſertatio de ſtatera vniuerſali. Auctore* HIERONYMO SALADINI, *Canonico Bononienſi. Communicata cum academia anno* 1783.

p. 65–84. V. *Diſſertatio de vera menſura fornicum ſpiralium. Auctore* NICOL. FERGOLA, *academiae ſocio. Praelecta anno* 1783.

p. 85–118. VI. *Praelectio de corporibus ob ſpecificam ſuam leuitatem in aëre altum petentibus. Auctore* HIERONIMO SALADINI, *Canonico Bononienſi. Communicata cum academia anno* 1784.

p. 119–138. VII. *Noua methodus ſoluendi nonnulla problemata doctrinae ſitus. Auctore* FERGOLA. *Communicata cum academia anno* 1786.

p. 139–155. VIII. *Continuatio eiusdem argumenti. Auctore* HAB. NIB. NICOLAO IORDANO *). *Praelecta anno* 1786.

p. 157–167. IX. *Nouae meditationes de ſolutionibus problematum doctrinae ſitus. Auctore* FERGOLA. *Communicata cum academia anno* 1787.

Sequuntur iam diſſertationes ſecundae claſſis.

p. 169–195. X. *Obſeruationes phyſicae ſuper electricitate, magnetiſmo et fulgure. Auctore* IOSEPHO SAVERIO POLI, *academiae penſionario. Praelectae anno* 1784. Cum aliquando clariſſ. auctor fretum, quo Anglia a Gallia dirimitur, traiiceret, ſubito coorta tempeſtate accidit, vt fulmen vehementiſſimum in nauem illapſum magnam in ea ſtragem ederet. Etſi enim nauis conductore in apicem acutum deſinente ad theoriae Franklinianae regulam armata fuerat, quo etiam initio electricitatis atmoſphaericae vis ſatis ſuperque frangebatur: tamen conductore inter tempeſtatem caſu fracto ſicque via fulmini obſtructa, qua ſine nauis nocumento vndas deriuaretur, fieri non potuit, quin fulmen in ipſam

*) Adoleſcente quindecim annorum, in quo Paſcali Claraltiique matheſi reddi videntur.

ipſam nauis compagem irrueret. Ferramenta a fulmine tacta noſter examine poſt inſtituto omnia magnetica reperit. Polaritatem exſerebant borealem: acus enim magneticae admodum ſenſibilis polum auſtralem attrahebant, ſed borealem auerſabantur. Pyxidis nauticae acus, quam fulmen pariter tetigerat, poli inuerſi erant, vt, qui borealis fuerat, iam auſtralis, qui auſtralis, borealis eſſet. Hinc noſter, quae iam aliunde in vulgus nota ſunt, deducit atque experimentis confirmat: conductores acuminatos ad nubes igne electrico ſpoliandas ſummam vim habere; ignem electricum, ſi conductor integer ſit inque materiam non electricam deſinat, ſine damno in illam deriuari; ſin fractus ſit, vehementem magnoque cum periculo coniunctam fieri exploſionem; ignis huius hanc quoque vim eſſe, vt ferramenta virtute magnetica inſtruat, acuumque magneticarum polos inuertat. Inprimis diligens eſt in fluidi electrici ad ferrum magneticum reddendum polosque acuum magneticarum inuertendos efficacitate deſcribenda: quo loco etiam de electricitatis atmoſphaericae ſtatu modo poſitiuo, modo negatiuo, adeoque de fulminibus modo deorſum, modo ſurſum ruentibus diſputat. — Cum fulmen nauis fundum peteret, in puluerem pyrium charta inuolutum ingruit, quem quaquauerſus ita diſperſit, vt ne vnum quidem granum ignem concipere. Huius phaenomeni, quod nemo ignorat etiam arte produci poſſe, rationem noſter a magna celeritate, qua fluidum electricum puluerem pyrium peruadit, repetendam cenſet. Omnino arbitratur, puluerem pyrium a fulmine non accendi, niſi fulmen incidat in ſubſtantiam inflammabilem, verbi cauſa in apicem ſubtilem ferramenti, quae fulminis vi inflammetur ignemque poſt cum puluere pyrio communicet. — Prope puluerem pyrium vas ſtabat e porcellana ſpuria confectum, quod a fulmine duas in partes aequales

quales horizontali fractura tam accurate diuiſum e vt arte diſſectum videretur: cuius rei rationem n ſter acute reddit. — Eodem loco poſita erat Gle ſia triacanthos. Hanc fulmen feriens non mo omnia folia decuſſit, ſed etiam totam plantam ita a cit, vt in furno ſiccatam credidiſſes. Eſt hoc ph nomenon non infrequens agricolisque ſat notum Eius cauſam noſter repetit ab incredibili fulmi efficacitate, quod a vertice arboris ad imam vſque r dicem omnes vtriculos, fibras ceterasque partes, quibus planta conſtat, peruolans omnes omnino ſu cos nutrientes quaſi abſorbeat, adeoque plantam penitus exſiccet. Similes effectus apparuerunt, cum noſter varias plantas vehementioribus fluidi electri ictibus exponeret. — Tandem fulmen ſine vllo nan gantium damno euanuit, niſi quod nonnulli vehemen ter, tanquam a machina electrica fortiori, concute rentur. Grauiſſimus remanſit odor ſulphureus, qu demum poſt aliquot dies ſentiri deſiit. — Hinc no ſtro ſequi videtur, maximam analogiam inter fluidum electricum, ignem fulmineum materiamque magneticam intercedere, adeoque magnum illum numerum phaenomenorum variorum ac mirabilium inde orun dorum, etſi a tribus diuerſis cauſis proficiſci videantur, tamen vni ſoli cauſae tribuendum eſſe. Credit, materiam electricam cum fulminea omnibus modis congruere, ambasque a magnetica perinde differre, vt ignis a luce diſcrepet, ſiquidem materia magnetica certam quandam directionem ſequatur, electrica autem atque fulminea quoquouerſus tendant.

p. 197–234. XI. *De motu ſanguinis reciproco per venas capitis internas. Pars I. Auctore* DOMINICO COTVGNO, *academiae penſionario. Praelecta in academiae conſeſſu anno* 1782. Ex quo ſummus HARVEIVS, immortalis au-

*) Itali huiusmodi arbores dicunt *alberi allampati*, quod vulgo credunt igne fulmineo tactas eſſe.

ctor ſtatorque recentioris phyſiologiae, detecto ac demonſtrato ſanguinis circuitu nouam doctrinae de corporis animalis natura quaſi faciem induit, ad vnius fere cordis et arteriarum indolem viresque ſcrutandas anatomicorum ac phyſiologorum cura conuerſa eſt, venaeque, cum pro inſtrumentis circulationis et functionum inde pendentium mere paſſiuis haberentur, magno phyſiologiae damno propemodum neglectae et contemtae iacuerunt. Clariſſimo COTVGNO perſuaſum eſt, venarum in ſanguinis circulatione abſoluenda officium longe nobiliſſimum ſummaque attentione digniſſimum eſſe, creditque adeo, magnam partem illius obſcuritatis, qua cognitio nonnullarum magni momenti functionum machinae animalis, inprimis capitis, adhuc premitur, inde oriri, quod vacuum ſanguinis per venas iter nondum penitus perſpectum habeamus. Quo itinere cognito, apparituram eſſe arbitratur, 1) vim cordis non omnem in arterias, ſed ex parte etiam in venas impendi, 2) directionem motus progreſſiui ſanguinis venoſi cum motibus reſpirationis conſtantes pati et vniuerſales alternationes, 3) niſi plerasque, certe multas humorum in machina animali ſeparationes potius venoſas, quam arterioſas eſſe. Propoſuit ſibi noſter, hoc argumentum tam nobile, ſed adhuc fere neglectum, illuſtrare, hacque diſſertatione ſuas de ſanguinis motu per venas capitis internas obſeruationes complexus eſt, quae reſtant, alia, vt ſperamus, occaſione daturus. — E clariſſimi auctoris obſeruationibus quae ſequuntur, huc redeunt. Per venas, quae in capitis partibus interioribus ſunt, indeque verſus cor deſcendunt, ſanguis regulariter non vno, ſed duobus modis inter ſe contrariis et alternantibus mouetur, cum nunc a capite ad cor defluat, nunc a corde ad caput repellatur. Quoties cor ſingulis exſpirationibus ſanguinem in omnes arterias corporis propellit, toties ſanguis per

venas

venas iugulares internas aut truncum venae cavae ſuperioris regredi cerebrumque repetere cogitur. — Fuſe haec atque accurate demonſtrantur, vt in diuinatorium vocari non poſſe videantur. Adduntur duae tabulae aeneae.

p. 235 — 250. XII. *Obſeruationes botanicae ſuper Cytino, Stybara paſſerina atque Ceratonia.* *Auctore* ANGELO FASANO, *academiae penſionario. Communicatae cum academia anno* 1781. Bene meritus eſt hoc labore clarus FASANO de botanophilis, quorum in gratiam, cum ex paucorum manus acta Neapolitana peruentura ſint, trium iſtarum plantarum deſcriptiones, quales a noſtro dantur, huc transſcribemus.

Cytinus LINN. et FAS. *Hypociſtis* TOVRNEF. Monoecia Gynandria Dodecandria.

Flores maſculi et feminei in eadem planta in baſciculum vna collecti.

Maſculi medii et numeroſiores.

Character eſſentialis.

Maſculi.

Cal. Inuolucrum diphyllum.

Perianthium monophyllum, tubulato-campanulatum.

Cor. Nulla niſi perianthium.

Antherae ſedecim circum apicem. Styli ſeſſiles.

Feminei.

Cal. Inuolucrum diphyllum.

Perianthium monophyllum, infundibuliforme, ſuperum.

Cor. Nulla niſi perianthium.

Peric. Bacca infera, octolocularis, polyſperma.

Vtrisque tubus calycis ſiue perianthii in cellulas ſua nectaria quatuor in longum diuiſus, ſtylo intermedio. Glandulae quatuor, ſingulae ſingulis cellulis ad baſin ſtyli adnatae.

Character naturalis.

Flores maſculi.

Cal.

Cal. Inuolucrum diphyllum, perianthio breuius, foliis oppoſitis, adpreſſis, ſubcymbiformibus, carinatis.
Perianthium monophyllum, coloratum, tubulato-campanulatum, ſubcoriaceum.
Tubus ſubinflatus: limbus erecto-patulus, quadripartitus, laciniis ſubouatis.
Cor. Nulla niſi perianthium.
Nectaria quatuor, ſiue tubus perianthii in cellulas quatuor in longum diuiſus in crucem diſpoſitas, quaeque ſub laciniis; diſſepimentis ſtylo intermedio iunctis. Glandulae quatuor, magnae, reniformes, coloratae, ſingulae cellulis ſingulis baſi ſtyli adnatae.
Stam. octo. Filamenta nulla: antherae ſexdecim oblongo-teretes, biualues: binae ſegmentis ſingulis octofidi apicis ſtyli ſeſſiles, biualues, infra ſtigma.
Piſt. perianthio breuius. Germen omnino nullum. Stylus cylindricus, rudis; apex maiuſculus, ſubouatus, octofidus, ſegmenta biſtriata. Coronula octodentata, acuta, ſtigma repraeſentans.

Feminei grandiores.

Faſciculum maſculorum ambientes.

Cal. Inuolucrum diphyllum, perianthio breuius, foliis oppoſitis, adpreſſis, ſubcymbiformibus, carinatis, ima parte anguſtatis et germini adnatis.
Perianthium coloratum, monophyllum, infundibuliforme: tubus cylindrico-tetragonus, rudis, angulis inferne inflatis. Limbus erecto-patulus, quadripartitus, laciniis obtuſis.
Cor. Nulla niſi perianthium.

Nectaria et glandulae, vt in maribus.

Piſt. perianthio breuius. Germen inferum. Stigma maiuſculum, capitatum, vertice depreſſo, octofidum; ſtriis compreſſis, conuexis.
Peric. Bacca magna, calyce coronata, infera, globoſa, octocoſtata, coſtis quatuor alternis obſcuris; octolocularis.

Semin.

Semin. numeroſa, minuta, ſubrotunda, veſiculis gum-
mireſina plenis nidulantia: plantae huic omnia fo-
ro vna cum ipſa iunctim marceſcentia; ſaluis fe-
minibus.

Obſeruatio.

Numerus antherarum, ſegmentorum apicis ſtyli partium ſtigmatis ſimul quarta parte maior quandoque in maſculis.

Deſcriptio.

Radix longa plus minus lineas duas, lata fere tantundem; lignoſa, verrucae ſimilis, radicibus ſibi inſerta.

Caulis clauatus, palmaris ſeſquipalmaris, plerumque ſubterraneus, vno florum faſciculo exſtante ab imo, folioſus, flaueſcens, fragilis, ſucculentus, vt planta tota.

Folia imbricata, ſquamiſimilia, fere linguiformia, adſcendendo longiora, tenuiora, eroſo-denticulata, glabra, ſubterranea ſordide palleſcentia, exſtantia medio deorſum lutea, ſurſum laete chermeſina, oris ſupremis plerumque vſtulatis.

Flores in faſciculum terminalem collecti, luti, hiſpiduli. Maſculi medii vix eminentiores; duplo circiter numeroſiores, minores, vix pedunculati. Feminei ſeſſiles, faſciculum maſculorum ambientes. Omnes interdiſtincti foliis ipſis floribus breuioribus, ſupremis caulinis ſimilibus, baſi femineorum et pedunculorum maſculorum ſeſſilibus.

Nectaria vix barbata. Glandulae primo vireſcentes, porro fuluae, durae.

In maſculis apex ſtyli octofidus, ſed ſingula ſegmenta biſtriata; ſingulis ſtriis antherae ſingulae in longum ſeſſiles, candidae. Coronula octodentata, dentibus acutis, erectis, vel conniuentibus, ſtigma repraeſentans, alia omnia, vt in generis deſcriptione.

Sapor amaro-ſtypticus. Odor nullus.

Floret

Floret Maio: anno longius radicibus Ciſti inſidet; orro arefacta contractaque radice, ibi relicta fouea, cidit; fragilis, ſicca, colore vſtulato.

Reperit noſter hanc plantam paraſiticam in Italia eriore radicibus ciſti ſaluifolii et ciſti monſpelienſis haerentem.

Stelleram paſſerinam noſter in Polygamiam trans-rt, ac *Ligiam* nuncupat, ſic vt nouum illic genus oſtituat.

igia paſſerina FAS. } Polygamia Monoecia.
tellera paſſerina LINN. } Planta habitu iuncearum.

Character eſſentialis.

Flores hermaphroditi.

or. monopetala tubulata. Stamina quatuor ſub fau-ce, quatuor tubi medio affixa. Piſtillum fundo in-cluſum.

Flores feminei.

or. campanulato-ventricoſa. Piſt. Germen ouato-acutum, corolla veſtitum.

mnes in eodem inuolucro axillari ſeſſiles.

Character naturalis.

Flores hermaphroditi et feminei.

eodem inuolucro gemmaceo ſeſſiles, baſi contigui.

Hermaphroditi.

al. Inuolucrum tetraphyllum vel polyphyllum, axil-lare, gemmaceum, ſeſſile; foliolis imbricatis, lato-lanceolatis.

anthium nullum.

or. monopetala, tenuis, tubulata, baſi ventricoſa, in-volucro longior; limbus breuiſſimus, quadriparti-tus, acutus; faux anguſtata, laciniae laterales pro-ximiores, minores.

am. octo. Filamenta breuiſſima, quatuor ſub fauce, quatuor tubi medio affixa, alternis breuioribus.

Anthe-

Antherae rotundae.

Piſt. dimidium tubi longum. Germen ouato-acut
fundo corollae incluſum. Stylus breuiſſimus.
ma capitatum.

Peric. nullum: eius loco corolla arefacta ſemini
haerens, nec dehiſcens.

Sem. vnicum, ſiccum, roſtratum, nitidum, dimidio
bi corollae veſtitum, reliquo corollae clauſo,
perexſtante.

Flores feminei laterales.

Cor. monopetala, campanulato-ventricoſa, inu
cro longior; hermaphroditis dimidio breuior,
ralis; limbus quadripartitus, acutus, breuis.

Piſt. tubi longitudine. Germen ouato-acutum.
lus breuiſſimus, antrorſum incuruatus. Stigm
pitato-truncatum.

Peric. nullum. Corolla ſemini adhaerens, nec
hiſcens.

Sem. ſiccum, roſtratum, nitidum, tota corolla
veſtitum.

Obſeruatio.

Flores a decima diei hora ad mane inſequ
diei patentes; diu vero clauſi. In aridis locis
pars hermaphroditorum abortat: piſtillum in fu
corollae perpuſillum, tabidum.

Deſcriptio.

Radix palmaris, ſeſquipalmaris, paucis fibri
ornata, duriuſcula, albida, annua.

Caulis a pede ad ſeſquicubitum altus, ſingul
ab imo folioſus; tenuis, teres, firmus, pilis adpre
albis adſperſus; rami perpauci, ab imo fere plerum
que exſurgentes, axillares, erecti vel aſcendentes,
aeque ac caulis ſpicas ſimplices, praelongas, folio
floribus remotis, adſcendendo proximioribus, repa
ſentant; axillis calloſis ex caule.

Folia ſeſſilia, anguſto-lanceolata, integra, gla
ſubcarnoſa, ſubtus neruo, ſupra ſulco ſignata,

vel viridia. Caulina ſparſa, numeroſa, adpreſſa, adſcendendo, vt ima ramea, remotiora; decidendo caulem, et inferne ramos denticulatos relinquentia; vtrobique gemmeis axillaribus rudimentis conſpicuis. Spicea alterna, ceteris minora, inflexa, ſtipulaceis rudimentis axillas efformantibus dilatatis ſeſſilia, baſi tereti, albida primum remota, adſcendendo proximiora minora; ſuprema approximata, minima, decidendo ſpicas ſtipulaceis rudimentis horrentes relinquentia.

Cal. Inuolucra axillaria, ſeſſilia, triphylla et polyphylla: folia imbricata, lato-lanceolata, integra, ſubcarnoſa, corollis multo breuiora, centro denſe lanato, vna cum caule marceſcentia ac ramis.

Perianthium nullum.

Flores bini, terni, quaterni, quini, quandoque plures, centro inuolucrorum ſeſſiles, baſi contigui: hermaphroditi medii: feminei exteriores et laterales.

Hermaphroditis corollae duplo longiores femineis, tenues, tubulatae, noctu, dum patent, ſubcernuae, clauſae erectae, baſi ventricoſa; pilis adpreſſis albicantes, pulpoſae, flauo-rubentes; tubus rudis, limbus breuiſſimus, quadripartitus, diu vſque ad decimam clauſus, noctu patens; laciniis planis, acutis, lateralibus minoribus, fauce lateraliter compreſſa, patula.

Abortientibus corollae clauatae, piſtillum perpuſillum, tabidum. Femineis corollae piloſae, erectae, inuolucro longiores, flauo-vireſcentes. Hermaphroditis dimidio breuiores, limbo quadripartito, laciniis planis, acutis, ſubaequalibus, fauce patula. Alia omnia, vt in generis deſcriptione.

Floret Septembri, Octobri. Colles apricos et loca arida plerumque amat, ceterum valles non refugit.

Obſeruatio.

Aridis, vbi plerumque, quae prouenit locis, caulem ſtrictum, pilis albicantem, habitum ſtrigoſum prae

ſe fert; atque folia caulina, vt ima ramea, adoleſcendo deiicit. Contra pinguibus et humentibus caulem elatiorem, laxum, habitumque laete virentem, et folia diutius retinet.

Caule vel ramis praeciſis, inuolucra in ramulos exſiliunt, aliis omnino ſimiles.

Ceratoniae clariſſ. auctor ſequentes characteres obſeruauit.

Flos hermaphroditus.

Cal. Perianthium monophyllum, profunde quinquefidum, coloratum; laciniae inaequales, obtuſae.

Cor. monopetala, rotata, integra, ambitu vndulato, coriacea, perſiſtens.

Stam. Filamenta quinque, margini ſubtus corollae circumadfixa, vix corolla longiora. Antherae magnae.

Piſt. centro corollae implantatum, pedicellatum. Germen lineare, compreſſum, ſubfalcatum. Stylus nullus. Stigma ſeſſile, orbiculare, planum, e media ſurſum ſulco in germen excurrente ſignatum.

Mas.

Cal. Perianthium monophyllum, profunde ſexfidum: laciniae inaequales, ouatae, concauae.

Cor. monopetala, rotata, vndulata, vel obſolete crenata, coriacea, perſiſtens.

Stam. Filamenta ſex, corolla triplo fere longiora, patentia, angulis crenarum ſub margine corollae adfixa. Antherae magnae, quadriloculares.

Piſt. nullum: eius loco paruus apiculus centro corollae implantatus, rudimentum mentiens. Filamenta laciniis calycis oppoſita.

Adduntur tabulae aeneae, quibus plantae deſcriptae earumque partes delineatae ſiſtuntur *).

XIII.

*) Obiter noſter monet, nondum ſibi perſuaſum eſſe, quatuor illas claſſes, Gynandriam, Monoeciam, Dioeciam, Polygamiam, in ſyſtemate ſexuali ſuperfluas, ineptas atque inutiles eſſe.

XIII. *Tentamen geographiae phyſicae Calabriae vlterioris. Auctore* ANGELO FASANO *academiae pen-ſionario. Praelectum in conſeſſu academicorum anno* 1785. Calabria vlterior, quam inprimis terrae motus, quorum vehementia annis 1783 et 1784 Italia inferior deuaſtata fuit, miſere afflixerunt, rerum mineralogorum ac chemicorum attentione digniſſimarum longe eſt feraciſſima. Harum diuitiarum aliquis guſtus hac in diſſertatione datur. — Ampla illa Calabriae vlterioris planities, quae vulgo *la Piana* (malit noſter *la Chiana*) dicitur, veroſimiliter olim fuit vallis mari ſubmerſa, quae ab aquis derelicta primum lacus, poſt palus facta eſt. — Tractus Apenninorum, qui per totam Calabriam ad mare vſque excurrit, fere graniticus eſt. Nucleus eius conſtat ſaxo roeroſienſi LINN., ſaxo trapezio, corneo trapezio, ſaxo ferreo. Haec ſaxa in ſtrata diſpoſita ſunt, ſed granites ſtrata illa obtegens maſſa rudis eſt. Hic illic in fluuiorum ripis offendas ſtrata fluoris mineralis coloris violacei pulcherrimi. — Omnia conteguntur variis ſubſtantiis in ſtrata diremtis, quarum maximam partem mare depoſuit. Sunt hae terra vegetabilis, marga, arena nunc micae nunc teſtaceorum fragmentis remixta, ſilices. — In planitie *la Piana* dicta alicubi exſtat ſtratum calcareum cum madreporis radicatis, vnde maxime intelligitur, hanc planitiem olim ſub vndis marinis latuiſſe. Etiam in multis aliis locis litoris maris Tyrrheni talia lithophyta in rupibus calcareis infixa occurrunt. — Inde a promontorio Palinuri vſque ad Fuſcaldum in Calabria citeriore omnes rupes calcareae maritimae a mytilis lithophagis exeſae ſunt. Mytili fere ſunt iam in lapidem conuerſi, hic illic tamen adhuc viui ſuis in foraminibus nidulantur. Foramina ſummum duas vncias Neapolitanas profunda ſunt. — In litoribus Calabriae cum citerioris tum vlterioris ingentia exſtant ſtrata calcarea teſtis referta animalium

p. 251. – 311.

lium marinorum. Nec deſunt in Calabria vlteriore loca, vbi foſſilia originis haud dubie vulcanicae reperias. Etiam gypſi vbertas adeſt, cuius originem noſter a pyritis prope ſtrata calcarea fatiſcentibus repetit. Inprimis notandae ſunt frequentiſſimae atque ditiſſimae nitrariae, quae quod nitrum exhibent, eximii ad puluerem pyrium conficiendum vſus eſt. Rationem nitri parandi illic vſu receptam noſter accurate deſcribit. — Montes venis metallicis ſcatent. Tenent mineras ditiſſimas auri, argenti, plumbi, cupri, ferri, zinci antimonii, arſenici, magneſii etc. Tamen ratio incolarum mineras effodiendi inque vſus convertendi adhuc perquam rudis eſt, quae ſi emendata fuerit, longe vberiores fructus, quam nunc fit, poterunt colligi. — Prope Scyllacium (*Squillace*) et aliis in locis magna plumbaginis vis effoditur. Neque molybdaena optimae notae Calabria caret. Feldſpatum adeſt magna copia praeclaraeque indolis, quod fatiſcendo in terram tranſit porcellaneam praeſtantiſſimam. Denique notanda ſunt ſulphur, hepar ſulphuris, lithanthrax, magna pyritarum varii generis copia, variae quarzi ſpecies (quarzum Iacobinum, cryſtallinum, arenaceum etc.), granati, talcum, amiantus, ſteatites, ſchiſtus pinguis WALLER., turfa, ferrum arenoſum, porphyrius, iaſpis, ſerpentinus, zeolites etc. In petrefactis rarae occurrunt ſpecies, quarum nonnullae in maribus non reperiuntur.

Quarta academiae claſſis modo vnam diſſertationem huic actorum volumini inſerendam curauit.

p. 313. – 370. XIV. *Illuſtratio monetarum, quarum in conſtitutionibus Siciliae vtriusque mentio fit. Auctore* DOMINICO DIODATI, *academiae ſocio. Praelecta in duobus academiae conſeſſibus anno* 1784. *et* 1786.

II.

Anfangsgründe der Mineralogie von D. GEORG ADOLPH SVCKOW, *Pfalz-Zweibrückiſchem Hofrath, ordentlichem Profeſſor der Kurpfaelziſchen Staatswirthſchaftshohenſchule, beſtaendigem Sekretair der kurpfaelz. phyſ. ökonom. Geſellſchaft, der kurfürſtl. Akademie der Wiſſenſchaften zu Mannheim, der kurfürſtl. Mainziſchen, der Geſellſchaft naturforſchender Freunde zu Berlin, der ökon. Geſellſchaft zu Leipzig und der königl. Ackerbaugeſellſchaft zu Paris Mitglied. Leipzig, in der Weidmanniſchen Buchhandlung.* 1790. 8. *mai. pagg.* 447.

i. e.

Elementa mineralogiae conſcripta a GEORGIO ADOLPHO SVCKOW, M. D.

Tantos noſtris diebus mineralogia progreſſus fecit, ſiue foſſilium characteres externos melius definitos, ſiue analyſin chemicam ſubtilius inſtitutam ſpectes, vt huius diſciplinae elementa etiam paucis abhinc annis edita nunc non poſſint non perquam manca eſſe. Mouit haec res clariſſimum auctorem, aliis iam libris argumenti phyſici, chemici, botanici edendis magnam nominis celebritatem adeptum, vt hanc in diſciplinas mineralogicas introductionem euulgaret.

Ratio et oeconomia libri haec eſt. Primaria mineralogiae capita ordine naturali ſtiloque ſuccincto traduntur, inque foſſilium deſcriptione ac diuiſione ſyſtematica recentiorum temporum experimenta et obſeruationes multos per libros ſparſa diligenter enarrantur. Quod ad characteres externos deſcriptionesque foſſilium inde deriuatas attinet, clariſſ. SVCKOW maxime WERNERVM, eiusque diſcipulos, KARSTE-

NIVM Berolinenſem atque HOFMANNVM Freibergenſem ſecutus eſt. In analyſi chemica tradenda ad nuperrimos chemicorum optimorum labores attendit Ex magna ſynonymorum caterua modo illa ſelegit, quae in recentiorum ſyſtematicorum et obſervatorum libris reperiuntur. Diuiſionem foſſilium ſyſtematicam inprimis CRONSTEDTII ac WERNERI ſyſtemati adaptauit, foſſiliumque ſingulorum vſus ſuo quemque loco recenſuit Quo magis breuitati conſuleret, ad characteres internos nonnullosque vſus foſſilium penitius noſcendos lectores ad compendium chemiae oeconomicae et technicae a ſe conſcriptum*) ablegauit. Poſtremo loco petrefacta enumerauit, cum eorum in geognoſia vſus ſit longe ampliſſimus. — Vbique auctores praeſtantiores diligenter citantur, atque nomenclatura characterum, foſſilium etc. latina additur.

p. 1. 2. In *prooemio* mineralogia, eiusque partes, oryctognoſia ac geognoſia, definiuntur, ac quomodo cum aliis diſciplinis cohaereant, oſtenditur.

p. 3-61. *Sectio prima* libri foſſilium notas tum externas, tum internas, i. e. principia eorum proxima, perſequi-
p. 3. tur. Recte noſter cenſet, ad vtrasque notas attendendum eſſe, ſi foſſilia certo pleneque definire velis, adeoque ad ſyſtematicam foſſilium diuiſionem, quae firmo ſtet talo, nec externas nec internas ſolas poſſe
p. 5. adhiberi. Characteres externos a ROMEO**) adſum-
p. 35. tos non ſufficere, iure affirmat. — Praeter terras quinque ſimplices, calcaream, ponderoſam, aluminarem, ſilicearn,

*) *Anfangsgründe der ökonomiſchen und technischen Chymie. Von* GEORG ADOLPH SVCKOW. *Leipzig bey Weidmanns Erben u. Reich* 1784. 8. Huius compendii altera nuper (1789) editio prodiit eaque aucta. Nos de libro ad lectores breui referemus.

**) Vid. Comment. noſtr. Vol. XXVIII. P. II. p. 218 ſqq.

ſiliceam, magneſiamque, aliae noſtro eſſe videntur, ſimplicibus tamdiu accenſendae, donec analyſis vlterior meliora doceat: in harum numero ponit terras a KLAPROTHO in circonio et ſpato adamantino repertas. — Acida vegetabilia et animalia noſter e regno minerali non excludit. Vegetabilia enim acida etſi in foſſilium principiis non videntur numerari poſſe, tamen plantae partim putredine partim aliis deſtructionis modis in regnum minerale tranſeunt; vnde forte fieri poteſt, vt acidum acetoſum in nonnullis talium foſſilium detegatur. De SCHEELII quidem ſententia acidum ſuccineum, acidis mineralibus vulgo adnumeratum, cum aceto prorſus congruit. Quod ad acida animalia attinet, ſatis conſtat, acidum phoſphoreum in regno minerali non infrequens eſſe. — In claſſem corporum inflammabilium clariſſ. auctor etiam materias vegetabiles et animales in variis foſſilibus contentas refert. — Semimetallorum numerum vranite a KLAPROTHO reperto auget. p. 44. p. 46. p. 47.

In *altera ſectione* de ſyſtematibus mineralogicis noſter diſputat. Breuiter enumerat ſyſtemata antiquorum recentiorumque temporum, eorumque virtutes vel vitia ſtrictim exponit. Nec illos probat, qui nimis anxii putideque diligentes ſpecierum numerum infinite adaugent; nec hos laudat, qui nullas a natura claſſes, nullas ſpecies in regno minerali conſtitutas eſſe clamant. Mediam viam ſequendam cenſet, vt ſyſtema foſſilium probabile naturaeque conueniens exſtruatur. — Eodem loco de collectionibus et iconibus foſſilium diſſerit. Varia ſunt collectionum genera, prout varium eſt foſſilia colligendi conſilium. Noſter in illis generibus definiendis WERNERVM ſequitur, qui ſuper hoc argumento diligenter ſcripſit*). Icones, ſi ſcite factae ſunt, aliquem, etſi non magnum, vſum praeſtant. p. 62 – 72. p. 70. p. 71.

*) *Sammlungen zur Phyſik und Naturgeſchichte, I. Band, pag.* 400. (Comment. noſtr. Vol. XXIV. P. II.)

p. 73 — 113. *Sectione tertia* primum geognoſiae elementa continentur. Cum geognoſia foſſilium ſedes, metamorphoſes, ortum, telluris reuolutiones conſideret, appareret, hanc diſciplinam cum parte regnorum organicorum phyſiologica quodammodo poſſe comparari. Vixdum prima eius principia nouimus, plurimumque faciendum reſtat, vt haec diſciplina vere adhuc infans p. 84. adoleſcat. — De chartis petrographicis aliisque hu- p. 95. ius generis iconibus. — Sequitur catalogus ſcriptorum mineralogicorum maxime notabilium.

p. 114. *Sectio quarta* iam ipſam foſſilium diuiſionem ſy- — 388. ſtematicam complectitur.

p. 114. *Prima claſſis* terras lapidesque continet. — Et p. 284. *primo* quidem *ordine* terrae et lapides calcarei prod- p. 114 eunt. — Calx aërata acido aëreo non ſemper perfecte ſaturata eſt adeoque nonnihil terrae calcareae pura ſ. acido aëreo vacuae continet. Huiusmodi lapides, auctoribus FALKONERO et KIRWANO, aquam partim ſubeunt, quae tum calore adiuta ſulphur ſolut p. 119. heparque ſulphuris generat. — Donec analyſis ſubtilior meliora doceat, noſter lumachellam opaliſantem Bleibergenſem a GERHARDO pro marga indurata habitam marmoribus adnumerat. — Marmorum colores a metallis, v. c. ferro et magneſio, praetereaque p. 124. a materiis phlogiſticis dependent. — Ludus Helmontii plerumque margaceae eſt naturae, eaque duritie p. 146. vt polituram facile admittat. — Lapis ponderoſus etſi metallicae indolis eſt, tamen a noſtro ob magnam principii terreſtris portionem lapidibus calcareis adnumeratur. — Calcareus boracites nuper a LASIO in lapicidinis gypſi Lüneburgenſibus repertus eſt. Cryſtallos exhibet cubicas: vitrum ſecat, chalybique alliſus ſcintillas edit. WESTRVMBIVS analyſi facta in eo reperit ſalis ſedatiui 0, 60, terrae calcareae 0, 10, magneſiae tantundem, terrae aluminaris 0, 02, ferri p. 149. denique circiter 0, 005. — Calcareus apatites panno laneo

laneo attritus electricitatem exſerit; pulueratus prunisque impoſitus flammam phoſphoream coloris viridéſcentis ſpargit. In Saxonia et Bohemia reperitur. Conſtat ex terra calcarea et acido phoſphoreo.

Alter ordo terras lapidesque ſiſtit, qui a terra ponderoſa dicuntur. — Terra ponderoſa aërata, quam in p. 150.
telluris cortice reperiri, BERGMANNVS modo ſuſpicatus fuerat (ſciagr. regni mineral. §. 91.), in Anglia
ſatis copioſe reperitur. — Probabile noſtro ſit, lapi- p. 156.
des hepaticos duplicis generis dari: alios eſſe naturae
vere gypſeae; in aliis terram ponderoſam contineri.
— Spatum ponderoſum raro ſumma eſt puritate, ferroque ſelenite, terra calcarea libera, terra ſilicea, terra aluminari ac ferro inquinatur.

Ordinem tertium conſtituunt terrae et lapides, quae magneſiam continent. — Si quid talco ſteatite vitro p. 157.
illeueris, literae aut figurae deletae aëre frigido humidoue denuo conſpicuae fiunt. — Talcum lardites p. 159.
ob inſignem pinguedinem ac ſemipelluciditatem a ſteatite recte diſtinguitur. — Notabile eſt, talcum litho- p. 160.
margam aqua diu maceratum odorem ſpargere vehementiſſimum tandemque vix tolerabilem; cuius odoris cauſam auctor non definit. — Lapis muriaticus p. 162.
HOEPFNERI (*Iade* SAUSSUR.) a WERNERO lapidi nephritico accenſetur. — Talcum radiatum olim prop. 168.
ſchoerli ſpecie habitum ob magnam, quam tenet, magneſiae copiam in talcorum numero iure ponitur.

Ordinis quarti ſunt terrae ac lapides, qui maximam partem e terra aluminari conſtant. — Vt mica p. 187.
alia igni obiecta in vitrum liqueſcat, alia refractaria
ſit, in diuerſa ferri inhaerentis quantitate poſitum videtur. Suſpicatur noſter, micam oriundam eſſe ex
aquae praecipitatione, quae terras ſiliceam et aluminarem acidi aërei interuentu ſoluerat.

Quinto ordine continentur terrae lapidesque ſilicei. — Rubinos Europaeos a nonnullis memoratos p. 189.

p. 191. auctor pro granatis habet. — Saphyris certam quandam fatiſcentiam perpeſſis videtur adnumerandus lapis ſtella mobili, quem LAPORTERIE deſcripſit. —
p. 195. Hyacinthi haud raro cum granatis atque topaziis con-
p. 207. funduntur. — Schoerlorum ortus vulcanicus nondum demonſtratus eſt. Nam etſi in productis vulcanorum reperiuntur, tamen etiam in multis aliis lapidibus occurrunt, quorum origo a vulcanis nullo modo poteſt deriuari. — Silex Prehnites a PREHNIO in promontorio bonae ſpei repertus atque a BRÜCKMANNO pro ſmaragdo habitus peculiaris eſt naturae. Tenet enim, vt KLAPROTHI analyſis docuit, terrae ſiliceae o 438, terrae aluminaris o, 303, terrae calcareae acido aëreo vacuae o, 183, terrae martialis o, 033; ſolus carboni ante tubum ferruminatorium impoſitus
p. 212. tanquam zeolithus intumeſcit. — Non omnes zeolithi acido nitroſo perfuſi in gelatinam vertuntur. Praeterea PELLETIER docuit, alios quoque lapides ac terras pari modo coagulari. Itaque falſo haec coagu-
p. 236. latio pro certo zeolithi charactere venditatur. — Optat noſter, vt opali analyſi chemicae accuratiori ſubiiciantur; eorum enim principia monet nondum ita
p. 241. eruta eſſe, vt nihil dubitationis maneat. — Silicis cornei formam cryſtallinam cum BRÜCKMANNO et HOFMANNO a ſpati calcarei cryſtallis repetit, quarum ille locum occupauit.

Sexto ordine ſaxa tam compoſita quam conglutinata CRONSTEDTII prodeunt. In illis numerantur granites, gneiſum, ſyenites, ſchiſtum micaceum, porphyrites, corneus trapezius WALLER., wacca, ſerpentinus: in his ſaxum arenarium, wacca griſea (*Grès*
p. 247. *gris* Gallis), breccia, amygdaloides. — Granites, ſi eius originem ſpectes, aut primitiuus eſt, aut regeneratus. Ille tum videtur natus, cum globus, quem incolimus, faciem hodiernam indueret; verosimiliter cryſtalliſando via humida coaluit; petrefactis caret.

Hic

Hic ex arena granitica, in quam primitiuus fatiſcendo ſolutus fuerat, aquae interuentu concreuit; petrefacta forſitan hic illic continet. — Syenites e feldſpato, quarzo et hornblenda conſtat, interdumque micam et talcum radiatum admixta habet. p. 249.

Septimo denique *ordine* terrae lapidesque vulcanici continentur. Sunt hi pumices, lauae, cineres vulcanorum, brecciae vulcanorum, cementum, baſaltes. — DOLOMIEU pumices pro granite igne ſubterraneo mutato habet; quae ſententia eo videtur confirmari, quod pumicibus interdum mica et ſchoerlus admixti ſunt — Quae ſit baſaltae origo habenda, via humida, an ſicca, an vtraque natus ſit, nondum demonſtratum noſtro videtur. Donec itaque lis dirimatur, eum productis vulcanicis adnumerat, prope corneum trapezium et waccam collocandum, ſi neptuniſtarum hypotheſis vicerit. p. 266. p. 278.

In *appendice* terrae et lapides, quorum principia adhuc latent, conſiderantur. Sunt hi adamas, quem corporibus phlogiſticis, licet flammam concipiat, noſter non audet adnumerare: ſpatum adamantinum, in quo KLAPROTHVS terram adhuc incognitam reperit: denique circonius, in quo idem KLAPROTHVS terram non magis notam detexit. p. 282. p. 283. p. 284.

Secunda claſſis ſales complectitur. Recenſentur etiam illi ſales, qui non forma ſolida, ſed aquis ſoluti occurrunt. — Halotrichum a KIRWANO cobalto vitriolato adnumeratur; ſed nihil cobalti ineſſe, SCOPOLI nuperrime docuit. — Acidum boracinum *Winterl* in petroleo Vngarico reperit. Vtrum tincal natiuum ſit, an arte productum, nondum certo conſtat. p. 285. – 303. p. 293. p. 301. p. 301.

Tertia claſſe foſſilia inflammabilia continentur. Auctor itaque recenſet bitumen, corpora bitumine repleta, lithanthraces, gagatem, ſuccinum, ambram griſeam, ſulphur, plumbaginem. — In turfae fuligine genuinus ſal ammoniacus latet, qui noſtro natiuus videtur. p. 304. – 315. p. 307.

detur (p. 299.). — De ſuccini ortu vegetabili noſter
p. 311. nihil habet. — Ambrae griſeae vera origo adhuc la-
p. 315. tet, vegetabilis tamen eſſe videtur. — De plumbagi-
nis (graphitae WERNERI) principiis adeoque loco
ſyſtematico adhuc videtur dubitari poſſe, ſiquidem
HAHNEMANNI experimenta cum SCHEELII tentami-
nibus non omni ex parte conueniunt.
p. 316. In *quarta claſſe* metalla ſequuntur. — Reprehen-
– 388. dit noſter mineralogos, qui omnes mineras, in quibus
pauca auri granula viſum fugientia latent, auri mine-
p. 319. ris accenſent. — Quae ſit platini origo, nullus natu-
rae ſcrutatorum hucuſque demonſtratum dedit. —
p. 327. De mineris argentiferis idem, quod de auriferis, auctor
p. 336. monet. — In plumbo ſpatoſo rubro a LEHMANNO
primum deſcripto nuper clariſſ. MACQVART plumbi
0,361, aëris vitalis 0,375, ferri 0,248, terrae alumi-
p. 339. naris 0,02 reperit. — Num detur ſtannum natiuum,
etiamnunc dubitari poteſt; nam quod clariſſimo KIR-
WANO natiuum viſum eſt, id a KLAPROTHO probabi-
p. 350. lius pro artificiali habetur. — Ferrum natiuum vero
datur. Id apparet tum ex maſſa ferri a PALLASIO re-
perta, tum ex alia ſimili maſſa in quam CELIS in Ame-
rica auſtrali incidit, quaeque ipſi originem vulcanicam
habere videtur *); vt probabile ſit, etiam maſſam a
p. 384. PALLASIO repertam eiusdem eſſe originis. — Mo-
lybdaenam noſter metallis adnumerat, etſi in ſtatum
p. 385. regulinum reduci nondum potuit. — Sequitur me-
tallum ponderoſum (Scheelium WERNERI), cuius re-
gulum nanciſci ſolis hucuſque DELHVYARIIS contin-
p. 385. git. — Claudit metallorum agmen vranites, nouum
ſqq. ſemimetallum a KLAPROTHO in pſeudogalena picea,
mica viridi etc detectum.
p. 389. Sequitur appendix petrefacta complectens.
– 413. Additus eſt index nominum rerumque ſatis co-
p. 414. pioſus.
– 445.

*) Philoſophical Tranſactions, Vol. 78. P. I.

In addendis cum alia omiſſa adduntur, tum de talco chlorite, talco tremolite, et bitumine melliatide agitur. Talcum chlorites a colore ſic dictum tenet magneſiae 0, 437, terrae ſiliceae 0, 375, ferri 0, 128, terrae aluminaris 0, 041, terrae calcareae 0, 062. Talcum tremolites in valle Tremola prope montem S. Gotthardi reperitur: continet ferri pauxillum, magneſiae 0, 100, terrae ſiliceae 0, 650, terrae calcareae 0, 180, aquae aërisque fixi 0, 065. Bitumen melliatides ſuccino ſimile eſt: occurrit prope Artern inter ſtrata ligni bituminoſi.

III.

Grundriß der Mineralogie, entworfen von IOHANN FRIEDRICH GMELIN, *königl. Großbrittanniſchem Hofrath und ordentlichem Profeſſor der Heilkunde auf der Georg Auguſtus Univerſität zu Göttingen. Mit Churfürſtl. Sächſ. gnädigſter Freyheit. Göttingen, bey Iohann Chriſtian Dieterich.* 1790. 8. *pagg.* 589. *praeter indicum paginas.*

i. e.

Sciagraphia mineralogiae, auctore IOANNE FRIDERICO GMELIN, medicinae profeſſore in academia Gottingenſi.

Dicata eſt haec ſciagraphia praelectionibus academicis de vniuerſo mineralogiae ambitu habendis. Itaque non ſola oryctognoſia in ea traditur, ſed etiam geognoſiae prima elementa docentur: id quod nemo non probauerit, qui cogitarit, quantillum temporis ſpatium in academiis ſtudio mineralogico tribuatur, tribuique recte poſſit. Recentiſſima mineralogorum ac chemicorum fide dignorum inuenta clariſſ. auctor ſuos in vſus conuertit, probatosque auctores, vbi opus

opus eſſet, diligenter laudauit. Claſſes ordinesque a principiis foſſilium deriuauit, ſic tamen, vt in ordinibus terrarum et lapidum conſtituendis non tam ad quantitatem pondusque principiorum proximorum, quam ad proprietatem foſſilium characteriſticam reſpiceret, adeoque v. c. lapides, qui terram fouent ſilliceam, ſi chalybi alliſi ſcintillas edunt, lapidibus ſilliceis adnumeraret, etiamſi analyſis chemica maiorem alius cuiusdam terrae copiam in iis detexiſſet: hac enim ratione ſe minus eſſe a ſyſtemate naturali deflexurum ſperauit (eandem rationem conſtat BRANDMANNO placuiſſe). In generibus et ſpeciebus definiendis rigorem methodicum nonnihil laxauit, cum ſibi perſuaſum haberet, totum hoc negotium admodum lubricum eſſe periculique plenum, remque ab ipſa natura multis adhuc tenebris inuolutam ſeriorum demum temporum induſtria poſſe dilucidari. E nominibus germanicis notiſſima ſelegit, vetuſtioraque, ſi meliora aut aeque bona eſſent, recentioribus praeoptauit: parum enim probat illum nominum nouandorum pruritum, ſtudiumque mineralogiae eo non promoueri ſed retardari arbitratur. Vt tamen lectores aliorum quoque auctorum ſcripta intelligerent, plerisque foſſilibus nomina in aliis libris aliisque Germaniae regionibus obuia adpoſuit.

p. 1 – 12. *Prima ſectio* generales mineralogiae notiones pertractat, catalogumque ſcriptorum mineralogicorum praeſtantiorum ſiſtit.

p. 13. *Altera ſectione* de primis foſſilium principiis breviter agitur. Sunt eadem, quae in corporibus organicis reperiuntur: ignis, aër, aqua, terra, phlogiſton, ſal.

p. 14 – 19. *Tertia ſectione* vires naturae tum generantes tum deſtruentes in regno minerali expenduntur. Sunt hae grauitas, attractio, elaſticitas, ignis, aër, aqua.

Inprimis

Inprimis aëris fixi magna eſt in cryſtallis generandis efficacitas.

Quarta ſectione ſequitur ipſa mineralium diſtribu- p. 19-
tio ſyſtematica. Primum characteres terrarum, ſa- 589.
lium, inflammabilium, metallorum recenſentur.

Claſſis I. terras ac lapides continet. Adſumit noſter ſeptem terras ſimplices: magneſiam, terram ponderoſam, terram calcaream, terram aluminarem, terram circonii, terram ſiliceam, terram ſpati adamantini. Sex huius claſſis ordines conſtituit: in primo terras lapidesque magneſiacos, in altero ponderoſos, in tertio calcareos, in quarto argillaceos, in quinto ſiliceos, in ſexto ſpatum adamantinum (corundum) conſiderat. — Eadem in claſſe lapidum compoſitorum deſcriptiones hic illic ſparſae reperiuntur: granites v. c. feldſpatum, gneiſum quarzum etc. comitatur. — De baſaltarum origine noſter nihil decernit. — Adamantem lapidibus ſiliceis accenſet.

Claſſis II. ſalium eſt.

Claſſis III phlogiſtica complectitur.

Denique in claſſe IV. metalla prodeunt.

Additi ſunt indices 1) rerum, 2) auctorum, 3) locorum ac regionum.

IV.

Specimen Faunae inſectorum Lipſicae, continens laruas inſectorum gloſſatorum indigenorum, quae in circulo Lipſienſi inueniuntur, ex obſeruationibus annuis collectas a GODOFREDO BENEDICTO SCHMIEDLEIN, Medic. Doct. et ſociet. oeconom. Lipſ. membro honorario. Lipſiae, impenſis auctoris. MDCCLXXXX. 8. min. pagg. 150.

Clariſſi-

Clariſſimus auctor, variis iam libris argumenti entomologici obſeruationibusque meteorologicis famam nominis nactus, hic ſpecimen faunae inſectorum Lipſienſis ſiſtit ita ſane comparatum, vt ſi pari diligentia ipſam faunam elaborare ei vacauerit, de hiſtoriae naturalis ſtudioſis optime meriturus videtur. Nactus occaſionem per ſeriem duodecim annorum maximam et amoeniſſimam anni partem rure degendi et agros ſyluasque in circulo Lipſienſi ſitas viſitandi ad plantas earumque incolas et deſtructores inſecta, diligenter attendit. Ex his obſeruationibus annuis orta eſt collectio laruarum ſatis locuples, quae in hoc libello accurate deſcribitur.

Quod ad ipſam libelli huius rationem attinet, auctor deſcriptiones et nomina triuialia latina et germanica gloſſatorum ſeu lepidopterorum inſectorum ex editione duodecima ſyſtematis naturae Linnaeani deſumſit, ſimulque ſynonyma meliora ex ſyſtematicis addidit, in definiendis autem laruis ſyſtema Viendobonenſe lepidopterorum *) ſecutus eſt. Loca natalia laruarum, vti plantas, quas habitant, quibusque veſcuntur, atque tempus, quo inſecta perfecta volitant, adnotauit: idque per ſingulos anni menſes continuauit, vt adeo hic libellus calendarii laruarum vices gerere poſſe videatur. — Apparet, talem librum inſectorum collectoribus oeconomisque multum prodeſſe, ſimulque viam ad naturae oeconomiam perueſtigandam pandere.

Iam vt dotes huius ſpeciminis clarius appareant, vnam alteramque deſcriptionem exempli gratia adponamus.

E Ma-

*) *Syſtematiſches Verzeichniß der Inſecten der Wiener Gegend durch* DENIS *und* SCHIFFERMÜLLER. *Wien.* 1776. 4.

E Martio.

Ph. Noct. Domiduca. Die Sturmhaube.
Fabr. Mantiſſ. II. p. 152. ſp. 124. *Noct. Ianthina.*
Wien. Verzeichn. 78. 19. *Noct. Ianthina.*
Fuesl. Archiv. 3. t. 16. *P. N Domiduca.*
Knoch. Inſ. I. tab. 4. fig. 5. *Ph. Domiduca.*
Locus Natalis.
In herba Ari; Primula veris; Lapatho acutifolio.
Tempus Inſecti perfecti.
Iulius vsque ad *Septembr. Rariſſime.*
Ad folia et truncos Betulae albae. *Ph. Noct. Fimbriae* ſimilis ſed paulo minor.
Definitio Laruae.
Larua albilateris (*Seitenſtreifraupe*) fuſco-vndata, faſcia laterali longitudinaliter alba, ſtriis aut maculis poſticis binis nigris in ſingulo annulo. *Pupa* ſepulta.

E Iunio.

Pap. N. C. album. Das weiße C. Der C Papillion.
Linn. S. N. p. 778. ſp. 168.
Fabr. S. E. p. 506. ſp. 265.
Wien. Verzeichn. 176. 9. *Der Hopfenfalter.*
Hufn. Tab. ſp. 14. *Der C Vogel.*
Locus Natalis.
In Vrtica, Lonicera Xyloſteo, Corylo, Vlmo, Ribe, Salice, Solano ſcandente.
Tempus Inſecti perfecti.
Iulius et Auguſtus. Copioſe.
In Ribe et Vrtica. *Interdum hibernant papiliones.*
Chryſ. d. 14. Iun.
prod. anim. d. 8. Iul.
Definitio Laruae.
Larua acuto-ſpinoſa (*Scharfdornraupe*), ſolitaria, ſublanata, fulua; dorſo antice flauo, poſtice albo; aculeorum longitudinalium ordinibus pluribus, capite bifido. *Pupa* ſaepius aurata, aut argentea, capi-

capite bicuſpidato, occipite ſubcornuto, carne, medio coarctata, punctis aureis.

Ex Auguſto.

Ph. Noct. Gamma. Der goldene Buchſtabe.
Linn. S. N. p. 843. ſp. 127.
Fabr. S. E. p. 607. ſp. 72.
Wien. Verzeichn. 93. 5.
Petiv. Gazoph. 64. fig. 6. *Ph. Lambda.*
Hufn. Tab. ſp. 14. *Das Ypſilon.*

Locus Natalis.
In Alismate, Lactuca, Oleribus, polyphaga.
Tempus Inſecti perfecti.
Iunius. Copioſe.
In Lactuca, Abrotano campeſtri, (*Stabwurz*).
Larua, d. 21. Aug.
Pupa, d. 27. Ei.
prod. anim. d. 6. Mai. ſequ. anni.
Definitio Laruae.
Larua ſemigeometra (*Halbſpannraupe*), dodecapoda, viridis, ſubpiloſa, ſtriis dorſalibus albis, laterali flaua, capite fuſco, nec ideo ad Geometras larua amandanda. *Pupa* intra folia folliculata, brunnea.

Additi ſunt indices nominum latinus germanicusque.

V.

Vrſprung und Alter der Luſtſeuche und ihre Einführung und Verbreitung auf den Inſeln der Südſee, nebſt einer kurzen Ueberſicht der älteſten und neueſten Heilarten dieſer Krankheit von WILLIAM TURNBULL *Wundarzte auf der Königlich Großbritanniſchen Flotte. Aus dem Engliſchen *) überſetzt von*

*) An Inquiry into the Origine and Antiquity of the Lues Venerea; with Obſervations on its Introduction and Progreſs

von *Dr.* CHRISTIAN FRIEDRICH MICHAELIS. *Zittau und Leipzig bey Iohann David Schöps.* 1789. 8. *mai. pagg.* 110. *ſine praefationibus traductoris et auctoris contentorumque indice.*

i. e.

Origines et antiquitates luis venereae eiusque in inſulas oceani auſtralis introductio et propagatio, vna cum ſuccincta conſideratione priſcarum et recentiorum medendi rationum huius morbi, auctore GUILIELMO TURNBULL, ex anglico ſermone in germanicum verſae a CHRISTIANO FRIDERICO MICHAELIS.

Ex praefatione Cl. Auctoris notamus, ipſum virus venereum canibus, felibus et cuniculis partim per organa digeſtionis, partim per genitalia, partim per inciſiones in ſuperficie corporis applicuiſſe, euentu tamen ſemper irrito: militem item nauticum ex errore lac aqua et pauco ſpiritu vini remixtum, quod ad eluendum vrethrae vlcus venereum inſeruierat, potaſſe, et poſt quatuor demum horas vomitorio ſumto nullum prorſus damnum inde reportaſſe.

Libelli ipſius ſectio 1. capite 1. in originem et antiquitatem luis venereae inquirit, eamque ante annum notiſſimum 1493 in Europa incognitam fuiſſe monſtrat: neque GORDONII et GUILIELMI DE SALICETO loca quaedam; neque morbum campanum HORATII; neque morbum quemdam ab HIPPOCRATE Epid. ſect. 3., peſtem Athenienſium a THUCYDIDE, aut Scytharum *νοσον θηλειαν* ab HERODOTO deſcripta; neque IOBI et DAVIDIS querimonias, aut p. 1.

Progreſs in the Islands of the South Seas etc. London 1786.

MOSIS de impuro virorum fluxu praecepta; neque illam affectionem, quam antiqua Angliae monumenta *arſuram* dicunt; neque SYDENHAMI hypothesin morbum a nigritis guineenſibus in Indiam occidentalem deportatum fuiſſe, quandoquidem is nullus alius fuerit, quam hodienum ſub nomine *Yaws* notus Scotorumque *fibbens* admodum ſimilis; neque morbum Tigellini in PLVTARCHI vita Othonis, ab anglico aphoriſmorum BOERHAVII tradu&tore allegatum; neque denique morbum penis Perſis frequentem a RHAZE memoratum huc referri debere; BUCHANANI ſilentium in ſatyra, quae diſſolutam monachorum vitam acerrime perſtringit, et abſolutam lui venereae in Ruſſia abſentiam ante Petri I. tempora
p. 33. magni momenti argumenta eſſe. Cap. 2. origo eius in inſulis oceani auſtralis disquiritur. Dubia aduerſus ſententiam Cel. FORSTER *) de antiquitate huius mali, iterumque comparatio propagationis eiusdem in hisce locis cum ea, quae olim per Europam facta eſt.
p. 63. Sectio 2. capite 1. conſiderationes generales de antiquis et hodiernis methodis lui venereae medendi exhibet. Cauſſam, cur in America meridionali guaiacum ſolum morbo tollendo quondam ſuffecerit, alibi non aeque, in ſola diuerſitate climatis quaerendam eſſe: forſitan etiam indigenis alia remedia innotuiſſe, quorum ſcientia ſucceſſu temporis interierit. Mirandum, mercurii vſum non prius tentatum fuiſſe, quum tamen vires eius aduerſus morbos cutaneos diu
p. 79. antea cognitae fuerint. Cap. 2. de hodierna medendi methodo, inprimis per mercurium (non autem plena et abſoluta tractatio, ſed ſingulares tantum animadverſiones). Semper opus eſſe, vt oris interna ſuperficies quodammodo a mercurio afficiatur, ſi morbum tollere voluerimus. De relatione diuerſarum conſti-

tutio-

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXIIII. p. 230.

tutionum corporum ad efficacitatem mercurii: feminam iuniorem a quarta grani parte calomelanos ſaliuationem ſubiiſſe. Debilitas corporis et animi a miaſmate venereo poſt ſaliuationem ſuperſtes, neque roborantibus neruinisque cedens, iterato mercurii vſu ſublata. Quatenus praeparatione aut ſelectu temperiei ad curationem opus ſit. An mercurius alterando, an euacuando agat? prius veroſimilius videtur. Euacuatio per ſaliuam ſicut moleſta, ita etiam inutilis, tam ſecundum analogiam, vti cortex vires aduerſus febrim non exſerat, nimis cito per aluum ſecedens, quam ſecundum experientiam: neceſſaria tamen, quando corpus vel per ſe maiori irritabilitate gaudet, vel eamdem iteratis curationibus acquiſiuit; quando morbus profundiores radices egit, temporique parcendum eſt; quando aeger medicamentis ordine praeſcripto vti aut non poteſt, aut non vult.

Additamentum de curationibus luis venereae opio praeſtitis. Effectibus eius ab Ill. MICHAELIS obſervatis *) tentamina in Anglia facta non reſponderunt: ſi quid praeſtitit, inſignes eius doſes cum mercurio iuptae dolores nocturnos oſſium mitigarunt, irritabilitatem minuerunt, et primas vias a ſtimulo praeparatorum mercurialium ſalino defenderunt. Exemplum vlceris peſſimi in glande penis ſub interno externoque mercurii vſu indies peioris redditi, quod frequenti ablutione cum ſolutione aquoſa opii, interno vſu extracti eiusdem a granis tribus ad decem cum mercurio calcinato, largisque corticis peruuiani doſibus ſimul adhibitis, ſanatum eſt. Aliam eamque efficaciſſimam vlcerum chronicorum medelam in Hiſpania a chirurgo Cl. Auctor edidicit, vaporibus compoſitionis ex opio et camphora ad illa admiſſis. p. 101.

*) Vid. Comm. noſtr. Dec. III. Suppl. p. 713.

VI.

Aphrodiſiacus ſiue de lue venerea in duas partes diuiſus, quarum altera continet eius veſtigia in veterum auctorum monimentis obuia, alteri quos ALOYSIVS LVISINVS temere omiſit, ſcriptores et medicos et hiſtoricos ordine chronologico digeſtos. Collegit, notulis inſtruxit, gloſſarium indicemque rerum memorabilium ſubiecit D. CHRISTIANVS GOTHFRIDVS GRVNER, Sereniſſimo Duci Saxo-Vinarienſi et Iſenacenſi a conſiliis aulae, botanices et theoretices in vniuerſitate litterarum Ienenſi profeſſor publicus ordinarius, facultatis medicae adſeſſor, academiae caeſareae naturae curioſorum collega, regiae Aurelianenſis et Diuionenſis, electoralis Moguntinae ſcientiarum vtilium, ſocietatis regiae medicae et agriae Pariſienſis, ducalis latinae Ienenſis, academicae principalis Haſſiacae et oeconomicae Bauaricae Burghuſanae, Vliſſingenſis, Harlemenſis phyſicae experimentalis, Rotterodamenſis artium et ſcientiarum, Rheno-Traiectinae et Mosquenſis excolendis litteris Roſſicis, nec non collegii regii medicorum Nanceiani ſodalis. Ienae, apud Chr. Henr. Cunonis heredes. CIↃIↃCCLXXXVIIII. Fol. pagg. 166. praeter gloſſarii et indicis paginas.

Haec ſcriptorum de lue venerea collectio Aphrodiſiaci ab ALOYSIO LVISINO Vtinenſi olim edita poſtque ab HERMANNO BOERHAVIO, ſummo viro, repetiti tanquam tomum tertium conſtituit. Non dubitamus, clariſſimum GRVNERVM hac operis Luiſiniani

ſiniani continuatione plurimorum gratiam iniiſſe, ſiquidem noſtra aetate antiqua illa medicorum de luis venereae orginibus lis, maxime HENSLERI et GIRTANNERI *), virorum clariſſimorum, ſtudiis excitata, reuiruit.

In praefatione editor varias de morbi venerei ortu hypotheſes ſtrictim recenſet, quidque ſibi hac de re videatur, indicat. Noſtri ſententia haec eſt. Repudiata, quam ipſe olim fouerat, GIRTANNERI opinione, qui ASTRVCIVM ſecutus originem huius mali ex America repetit, iam cum HENSLERO fontem eius in Italia quaerendum cenſet. His autem argumentis vtitur. Ex hiſtoria ſatis ſuperque patet, Romae ceterisque Italiae locis inde ab anno 1492 et 1493 peſtem vehementiſſimam graſſatam eſſe, eodemque tempore Maranos, ex Hiſpania pulſos, Italiae fines intraſſe, ac Romae ante portam Appiam ſubſtitiſſe, vrbem clanculum ingreſſos. Hanc peſtem ſiue vulgarem putes, ſiue cum HENSLERO veneream, id certe videtur extra omnem dubitationis aleam poſitum, tunc temporis exſtitiſſe morbum quendam epidemicum malignum, eumque fere ab reliquis diuerſum, quia ſimplex peſtis quidem et pernicioſa eſſe et contagioſa ſolet, ſed minime coitu vel contrahitur, vel propagatur. Quae cum noſter ſecum reputat, non poteſt non in eam ire ſententiam, vt aliunde repetat origines, id eſt, *a Maranis*. His ſine dubio propria fuit et veluti priua iſta contagio, et vel ipſis Hiſpanis incognita, donec Marani, iuſſi patrios lares relinquere, eam cum exteris communicarent. Sub hoc itinere nouum et incognitum malum derepente erupit, quo demum cunque loco transierant. Neque mirum videbitur, turpem naturalium morbum vel ipſos Hiſpanos latuiſſe, ſi meminerimus, hos Mara-

*) Vid. comment. noſtr. Vol. XXXII. P. I. pag. 152 ff.

nos, ſiue Mauros, ſiue Iudaeos cenſeas, nationi ſem-
per fuiſſe inuiſos et veluti a reliquorum ſocietate
ſecluſos. Iuſtum ergo et aequum erat labis auctae
occultandae conſilium, ne quis inimicorum ſibi dicam
ſcriberet vel iniuriam faceret. Sic, noſtro iudicio,
ſatis liquida atque probabilis cum origo tum propa-
gatio mali eſſe videtur. Gallorum enim copiis circa
medium annum 1494 Italiam ingreſſis, factaque
corporum miſcendorum copia, potuit et virus praeſens
ſuſcipi, et vlterius communicari primum cum
Venetis, Mediolanenſibus et Neapolitanis, deinde
ſequenti demum anno medio cum Hiſpanis ſub CORDOVA duce Siciliam et Calabriam appulſis. Vnde
Marani hoc malum acceperint, non ſatis liquet, attamen probabilem noſter putat coniecturam, Africam
eius parentem fuiſſe, etſi tempus, quo primum
importabatur, ignotum ſit. Erant vero Marani origine Saraceni ſiue Mauri, forte Iudaeis intermiſti
hinc ſuis ciuibus ob religionem celatam ſuſpecti;
ergo ſubiecti morbis Africae propriis, id eſt, contagioſis cutis affectionibus: videtur ideo iſta genitalium
contagio endemia vel ſub primo eorum aditu Hiſpaniam intraſſe, vel ſub ſeriori rerum corporumque
commercio eſſe introducta. — Hortatur noſter
maxime Hiſpanos, vt in rem diligentius inquirant.

Ad finem praefationis collectiones ſcriptorum de
morbo venereo accurate enumerantur.

Quod vero ad ipſam huius collectionis rationem
attinet, noſter in hoc negotio ita verſatus eſt, vt primum percenſeret veterum ſcriptorum locos, quibus
ſymptomata vel nomina luis venereae ineſſe dicuntur; deinde vt aliquos eosque paullum rariores medicos in lucem protraheret, qui vel ipſis morbi Gallici
incunabulis intererant, vel propius aberant a primis
originibus, adderetque hiſtoricorum coaeuorum et
Hiſpanorum teſtimonia, breuem vitarum narrationem,

eem, libellorum inſcriptionem, qualis erat in archetypo, paucas notulas, vocum ignotarum vel obſoletarum explicationem rerumque memorabilium indicem. Sic hoc LVISINI ſupplementum ad annum vsque 1556 perduxit, in quo, praeter FRANCISCVM DE VILLABOLOS, IOANNEM DE FOGVEDA, AVGVSTINVM NIPHVM, IACOBVM A BETHENCOURT, ANTONIVM ROVERELLVM et THOMAM RANGONVM, neminem deſideres. Fatetur, ſe etiam hos daturum fuiſſe, ſi per fata et amicos licuiſſet.

In parte *priore* inſunt Moſes, Iobus, David; Herodotus, Hippocrates, Celſus, poëtae, Dioſcorides, Scribonius Largus, Sextus Placitus, Lucius Apuleius, Cleopatra, Caelius Aurelianus, Plinius Secundus, Ioſephus, Euſebius, Galenus, Oribaſius, Octavius Horatianus ſ. Theodorus Priſcianus, Marcellus Empiricus, Aetius Amidenus, Palladius, Paullus Aegineta, Moſchion, Actuarius, Nicolaus Myrepſus; Iſaac, Buhahylyha Bingezla, Abu Oſeibah, Meſue, Serapion, Rhaſes, Haly Abbas, Ebn Sina, Avenzoar, Averroes, Alſaharavius, Albucaſem; Conſtantinus Africanus, Michael Scotus, Gariopontus, Trotula, Rogerius, Rolandus, Petrus Hiſpanus, Brunus, Theodoricus, Guilielmus de Saliceto, Lanfrancus, Arnaldus de Villa Nova, Simon Ianuenſis, Doglioni, Bernardus de Gordonio, Siluaticus, Ioannae I. reſcriptum quoad lupanaria, Ioannes Ardern, Guido de Cauliaco, Ioannes de Gaddesden, Valeſcus de Tharanta, Guilielmus de Varignana, Magninus, Galeatius de Sancta Sophia, Bertapalia, Ioannes de Concoregio, Gaſcoigne, Becket, Villon, Cent Nouvelles, Ioannes Arculanus, Argelata, Paſicus Maximus, Petrus Martyr, Magiſter Vulgerius.

In parte *poſteriore* occurrunt Ioannes Nauclerus, Stephanus Infeſſura, Petrus Delphinius, Ioannes Burchardus, Philippus Beroaldus, Alexander Benedictus,

dictus, Conradus Schellig, Iacobus Wimphelingius, Chronicon Monasterii Mellicensis, Ioannes Salicetus, Marcellus Cumanus, Chronica von Cöln (Chronicon Colonienſe), Ioannes Trithemius, Vniuerſitas Manuaſca, Sebaſtianus Brant, Ioſephus Grünbeck, Decretum Senatus Pariſienſis 1497, Proclamatio Anglica 1497, Ioannes Seiphover de Meppis, Bartholomaeus Steber, Simon Piſtoris, Antonius Beninonius, Petrus Pinctor, Ioannes Baptiſta Fulgoſius, Chriſtophorus Columbus, Petrus Martyr, Franciſcus Roman. Pane, Elias Capreolus, M. Antonius Coccius Sabellicus, Albericus Veſputius, Wendelinus Hock de Brackenau, Petrus Crinitus, Linturius, Clementius Clementinus, Ioannes Vochs, Angelus Bologninus, Franciſcus Guicciardinus, Berlerus, Leo Africanus, Petrus Bembus, Paullus Iouius, Ioannes de Vigo, Symphorianus Champegius, Franciſcus Lopez de Gomara, Vlricus ab Hutten, Deſiderius Eraſmus, Miſſa de b. Iob, Ioannes le Maire, Gonſaluus Ferdinandus de Oviedo, Ioannes de Bourdigne, Ioannes Ludouicus Viues, Aureolus Theophraſtus Paracelſus, Magnus Hundt, Leonardus Fuchſius, Sebaſtianus Frank, Sebaſtianus Montuus, Ioannes Baptiſta Theodoſius, Hieronymus Benzonus, Petrus de Cieça de Leon, Ioannes Fernelius, Michael Angelus Blondus, Auguſtinus de Zaratte, Ioannes Stumpf, Rodericus Diacius Inſulanus, Hieronymus Montuus.

Forma libri externa, ſiue chartae nitorem ſiue typorum elegantiam ſpectes, multum laudanda eſt, nullaque exhibet veſtigia barbariei typographicae, quae Germanorum haud pauca monumenta ingenii clariſſima ob ſordes vel librariorum vel emtorum foede conſpurcat.

VII.

IANI CORNARII, profeſſoris quondam medicinae in vniuerſitate litterarum Ienenſi celeberrimi, coniecturae et emendationes Galenicae. Nunc primum edidit D. CHRIST. GOTHFRIDVS GRVNER, ſereniſſimo duci Saxo Vinarienſi et Iſenacenſi a conſiliis aulae, profeſſ. botan. et theoret. publ. ordinar. facultat. med. aſſeſſ. academiae imperial. nat. curioſ. regiae Aurel. et Divionenſ. electoral. Mogunt. ſcient. vtil. ſocietatis regiae medicae et agrariae Pariſ. ducal. latinae Ienenſ. academicae principal. Haſſiacae et oeconom. Bruaric. Burghuſ. Vliſſingenſis Harlemenſ. phyſ. experiment. Roterodamenſ. art. et ſcient. Rheno-Traiect. et Moſquenſ. excolend. litter. Roſſic. nec non colleg. reg. med. Nanceiani ſodalis. Ienae, apud Ioannem Petr. Stranckmannum. 1789. 8. pagg. 58.

Dicatus eſt libellus viro eruditionis laude meritorumque copia vere inſigni, IOANNI STEPHANO BERNARDO, medico philologo clariſſimo. In proœmio de GALENI virtutibus, meritis, fama maxima apud maiores noſtros, atque immerito, quo nunc premitur, contemtu diſputatur. Clariſſimus GRVNER auguratur, viri inſignem praeſtantiam aliquando melius intellectum bonaque eius nec pauca nec exigua in vſus conuerſum iri.

Coniecturas et emendationes, quae hoc libello continentur, IANVS CORNARIVS, medicus ſeculi decimi ſexti longe doctiſſimus, atque Hippocratis, Dioſcoridis, Galeni, Aëtii, Paulli, Marcelli, Macri aliorumque veterum medicorum, philoſophorum ac theologorum editor et interpres clariſſimus, margini

Aldinae

Aldinae editionis operum GALENI inter bibliothec[ae] academicae Ienenſis cimelia aſſeruatae adſcripſit. Pr[o]dunt ingenium CORNARII futurumque, ſi quis ex[i]ſtet, librorum Galenicorum editorem multum iuu[a]bunt. — Reliquas (nam hoc loco tantum inf[o]factum eſt) alia occaſione ſe daturum eſſe clariſſ. edi[tor] promittit vna cum variis lectionibus Galenicis eod[ex] cibus Moſquenſibus deſumtis, quas clariſſ. MATTHA[EI] nunc profeſſor graecarum litterarum Vitebergenſ[is] cum eo communicauit. Hoc nomen vt exſolu[amus] vehementer optamus.

VIII.

De variolis et morbillis fragmenta medicor[um] Arabiſtarum, Conſtantini Africani, Matth[aei] Siluatici, Bernardi Gordonii, Ioannis Angl[ici] de Gaddesden, Gentilis de Fulgineo, Mich[aelis] Scoti, Rolandi Parmenſis, Guidonis [de] Cauliaco, Guilielmo Varignanae, Valeſci [de] Taranta, Ioannis de Concoregio, Petri H[i]ſpani, Antonii de Gradis, Menghi Fauent[ini] Blaſii Aſtarii et Ioannis Saliceti. Iunctim ed[i]dit, notulis et gloſſario inſtruxit D. CHRISTIAN. GOTHFRIDVS GRVNER, ſeren. duc. Sax[o]-Vinarienſi et Iſenac. a conſil. aul. bot. et theor[et.] in vniuerſ. litt. Ienenſi prof. publ. ord. facul[t.] med. adſeſſ. academ. caeſ. nat. curioſ. colleg[.] regiae Aurel. et Diuionenſ. electoral. Mogunt[.] ſcientiar. vtil. ſocietat. medicae et agrar. Pariſ[.] ducal. lat. Ienenſ. acad. principal. Haſſ. oecon[.] nom. Bauar. Burghuſ. Vliſſingenſ. Harlemenſ[.] phyſ. experiment. Roterodamenſ. art. et ſcient[.] Rheno-Traiectinae et Moſquenſ. excolend[.]

lit[t].

litt. Roſſic. nec non colleg. med. Nanceiani ſocius. Ienae, ſumtibus auctoris. 1790. 4. pagg. III.

Coepit nuper clariſſimus GRVNER in vulgus edere atque a priſtino ſqualore vindicare *fragmenta medicorum Arabum et Graecorum de variolis.* Quod inſtitutum cum iudicibus talium rerum peritis plurimum placere intellexiſſet, motus eſt, vt viam, quam ingreſſus erat, vlterius perſequeretur, iamque Arabicarum fragmenta de variolis et morbillis ſiſteret.

Habet, inquit, iſta veterum monimentorum p. 1. inueſtigatio aliquid commodi, plurimum voluptatis, neque poenitet inſumtae diligentiae ac taedii, quod horridum orationis genus parit. Satis eſt, noſſe, quid et quantum de variolis et morbillis ſciuerint maiores noſtri, nec refert, quam bene vel male ſenſa ſua expreſſerint. Inſunt tamen quaedam et ſcitu et geſtu digna. Poterunt tales reliquiae prodeſſe iis, qui origines morbi tetri et peſtiferi curioſius rimari et inde a vetuſtiſſimis temporibus ad noſtra vsque curatius perſequi cupiunt, neque ad manus habent fontes, vnde ſumi repetique debeant, vel dumeta et taedia laboris abhorrent.

Fontes, vnde noſter haec fragmenta deriuauit, ſunt hi.

I. CONSTANTINVS AFRICANVS *de omnium morborum cognitione et curatione.* p. 2–4.

II. MATTHAEI SILVATICI *opus pandectarum.* p. 4.

III. BERNARDI GORDONII *tabula practicae dictae lilium medicinae. Particul. I. de febribus cap.* 12. *de variolis ſeu puſtulis, quae dicuntur graece exanthemata.* Edit. Venet. 1496. — *De conſeruatione vitae humanae a die natiuitatis vsque ad vltimam horam mortis.* Ed. Baudiſii Lipſ. 1570. p. 4–8. p. 9.

IV. IOANNIS ANGLICI DE GADESDEN *Roſa Anglica.* p. 9–26.

V. GEN-

p.26-32V. GENTILIS DE FVLGINEO *de febribus.*
p. 33. VI. MICHAELIS SCOTI *de procreatione et hominis phy-*
ſionomia opus.
p.34-35VII. ROLANDI PARMENSIS *libellus de cyrurgia.*
p.35-37VIII. GVIDONIS DE CAVLIACO *chirurgia.*
p. 37-41. IX. GVILIELMI VARIGNANAE *opus de variolis et morbillis.*
p.42-53X. VALESCI DE THARANTA *practica ſ. Philonium.*
p. 54-61. XI. IOANNIS DE CONCOREGIO *ſummula de curis febrium.*
p. 61-62. XII. PETRVS HISPANVS *de variolis e theſauro pere-*
perum.
p.62-65XIII. ANTONIVS DE GRADIS *de febribus.*
p.65-72XIV. MENGHVS FAVENTINVS *de omni genere febrium.*
p.73-85XV. BLASIVS ASTARIVS *de curandis febribus.*
p.86-108XVI. IOANNES SALICETVS *de peſtilentia.*
p. 108-111. Accedit noſtri *delineatio doctrinae de variolis et morbillis, quatenus ad Arabiſtas ſpectat*, eo conſilio ſcripta, vt decreta Arabiſtarum lacera et hic illic diſperſa colligantur, quo melius poſſint atque facilius intelligi cumque noſtrae aetatis doctrina comparari. Omnino videntur Arabiſtae duces ſecuti fuiſſe Arabes, ac repetiiſſe, quae ab illis acceperant. Praecepta eorum, ſi in formulis magis materiam, quam formam reſpicias, etiamnum vera noſtro videntur.

IX.

WILLIAM FALCONER'S *der Arzneywiſſenſchaft Doctors und der königlichen Societät der Aerzte zu London Mitglieds Abhandlung über den Einfluß der Leidenſchaften auf die Krankheiten des Körpers. Preißſchrift, welcher die Fothergilliſche Medaille zuerkannt wurde. Aus dem Engliſchen* übers.

*) Diſſertation on the Influence of the Paſſions upon Diſorders of the Body. London 1788.

überſetzt und mit einigen Zuſätzen vermehrt von D. CHRISTIAN FRIEDRICH MICHAELIS, *Arzt am Johannishoſpital zu Leipzig. Leipzig, bey I. G. Büſchels Wittwe.* 1789. 8. *mai. pagg.* 128. *Dedicatio, praefatio tradctoris et contentorum index pagg. XIV.*

i. e.

GVILIELMI FALCONER diſſertatio de influxu paſſionum animi in morbos corporis, numo Fothergilliano coronata, ex anglico verſa additionibusque aliquot aucta a CHRISTIANO FRIDERICO MICHAELIS.

Quum haec diſſertatio primum praemium a ſocietate medica Londinenſi reportauerit *), introi- us litteras Cl. LETTSOM ad ſocietatem huiusque ad s reſponſionem, quae inſtituti huius rationem con- cernunt, poſteaque prioris orationem, quum Cl. FALCONER in conſeſſu ſocietatis praemium iſtud ob- ineret, huiusque reſponſionem exhibet. Commen- tatio ipſa primo capite generatim diſquirit, quinam P. 19. morbi excitatis ſingularibus affectibus animi mitigari vel tolli poſſint? Praemiſſa conſideratione perpetuae ſtuitatis animae in vigiliae ſtatu, quae ideas abigi non ſinat, niſi aliis in locum priorum ſucceedentibus; diſpoſitionis animae ideas ita inter ſe vniendi, vt recordatio vnius ſimul alteram reuocet ſimilesque vt prima vice effectus producat; effectuum conſuetudinis in eo, imitationisque mechanicae; duae claſſes affectuum animi conſtituuntur, prout vires vitae vel excitant vel ſupprimunt. Ad priores referuntur gaudium,

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXX. p. 732. vbi tamen in nomine error commiſſus.

dium, amor, deſiderium cum ſpe ſociatum, in
ſpes; ad poſteriores timor, moeror, commiſera
pudor, auerſatio, inuidia, zelotypia. Praeter h
affectus duplex animi ſtatus ſaepe magni in mo
momenti attentione dignus: ingens fides in vim r
mediorum, et firmum propoſitum inſultui morbi o
ſiſtendi. Affectibus iſtis recte vti difficillim
ſaepe, ob diuerſitatem ſubiectorum, ita vt excitan
interdum vires deprimere, ſedantes erigere con
p. 39. ciantur. In ſubſequentibus capitibus morbi ſigillat
recenſentur, in quibus affectus vices remedior
gerunt, ordine Cl. CVLLEN ſeruato, ex quo Cl.
CHAELIS in ſubiunctis annotationibus eorum def
tiones addidit. Singulos referre ſuperfluum hic
dicamus, quum vnius alteriusque breuiſſimis tant
mentio fiat; ideoque in iis, quae Auctori noſtro p
p. 54. pria putauimus, ſubſiſtamus. Opii vſum in febre ner
ex vi eius exhilarante declarat, eoque reſpectu illud
p. 62. vino comparat. Magnetis artificialis vires contra d
tium dolores ſoli imaginationi tribuit: experien
tamen propria ſe deſtitui fatetur. Bufonem viu
p. 69. collo appenſum haemorrhagias tollere, itidem
ſolo timore atque horrore pendit, et forte ſalut
eiusdem remedii vis in cancro eidem cauſſae t
p. 70. buenda. In phthiſi cum haemoptyſi coniuncta ſec
rum non eſſe, omnem ex aegri animo timorem exc
tere velle, quia tunc facilius regulas praeſcriptas ne
p. 81. gligat. Equitatio hypochondriacis ideo prae reli
quis motus generibus commendanda, quia perp
tuam ad equum attentionem requirit. Superſtitio
p. 87. ſorum remediorum aduerſus epilepſiam alio que mo
bos ſpaſmodicos vis ex imaginatione intenſa. Singu
p. 94. laris eſt obſeruatio, cuius veritatem ſibi certiſſim
affirmatam fuiſſe notat Cl. Auctor, durante ſeditione
Scotica annis 1745 et 1746 malum hyſtericum vi
occurriſſe. Nimiam curam ad euitandas eius cauſſa
plu

lus nocere quam prodeſſe (vti ſuperius de diſpoſi-
one ad ſyncopen). Egregius locus de affectatione p. 78.
insque diſcrimine a vero officiorum humanitatis ſen- p. 98.
i atque exercitio.

Enarratis morbis epilogum ſubnectit Cl. Auctor, p. 116.
n quo inprimis affectuum animi regimen medico ne-
eſſarium exponit. Miſericors ſit, aegrotisque hu-
anum ſe quauis occaſione monſtret: haec autem
umanitas firmitatem animi in eo non deprimat,
ſumque a perturbationibus iſtis liberum reddat,
uae ex arctiore cum aegrotis coniunctione oriantur,
diciumque de morbo ferendum et auxilium aegro
amicis perturbatis praebendum difficilius reddant;
nde praeclarus vſus conſultationum medicarum.
ebitam ſibi auctoritatem tueatur, non quidem ſer-
onis morumque ruſticitate, nimioue attentionis
llicitudinisque ſtudio et in minimis ſcrupuloſitate.
aec omnia ad laudandum FOTHERGILLIVM bene
pplicantur.

Verſio egregia eſt, dolendumque, Cl. MICHAELIS
on plures annotationes addidiſſe, quem laborem vi-
es ipſius ſuperaturum fuiſſe conqueritur: forte plus
tii (praefatio iam 24. Mart. 1789. ſcripta eſt) hanc
uerelam praeuertiſſet. Vitia typographica paſſim
ccurrunt facile corrigenda: obſidionem Bredae in p. 108.
nnum 1625. incidere, notiſſimum.

X.

D. IOH. CHRIST. WILHELM IVNCKER'S *Verſuch einer allgemeinen Heilkunde zum Gebrauche akademiſcher Vorleſungen. Nebſt vorläufigen Bemerkungen theils über einige Mittel, die Arzneykunſt zu vervollkommnen und den Nutzen vorhandener mediciniſcher Kenntniſſe in der wirklichen Welt zu betreiben; theils über die Einrichtungsart therapeutiſcher Anweiſungen.*

Erſter Theil, welcher dieſe vorläufigen Bemerkungen enthält. Halle, zu finden in der Buchhandlung des Waiſenhauſes 1788. 8. *pagg.* 328. *Praefatio et index contentorum pagg.* XVI.

i. e.

D. IOH. CHR. GVILIELM. IVNKERI tentamen therapiae generalis in vſum academicarum praelectionum. Accedunt obſeruationes praeliminares partim de mediis medicinam perfectiorem et, quae de ea cognita ſunt, vtilitati publicae aptiora reddendi, partim de ratione inſtitutiones therapeuticas conficiendi. Tomus primus has obſeruationes continens.

Fundamentis medicinae popularis antea editis praeſentem librum, cuius tomus ſecundus proximum preſſo pede ſequutus eſt, ſubiungit Cl. Auctor eum potiſſimum in finem, vt tentamine hoc ſymbolam qualemcumque ad iuuandas facilitandasque inſtitutiones perfectiores therapiae generalis in vſum praelectionum academicarum conferret. Iam de primo hoc tantum tomo diſſerendum nobis eſt, cuius repetita demum, vt verum fateamur, lectio nobis arrisit, quum multis dictionis genus forte obſcurius videri poſſit, quod vel titulus libri quodammodo euincat. Is ipſe etiam, in duas diſpeſci partes hunc primum tomum, docet, quarum prior adumbrationem mediorum quorumdam medicinam perfectiorem reddendi
p. 3. et ad commoda publica applicandi ſiſtit. Introductio: obligatio cuiusuis medici, cooperandi ad augmentum ſcientiae, qua nulla alia humano generi in vniuerſum prior ſit aut antiquior, neque vlla indefeſſo maiorum ſtudio magis opus habeat. Media iſta vel ſcientiam iam

*) *Grundſätze der Volksarzneykunde zum Gebrauche akademiſcher Vorleſungen, Halle* 1787. 8.

m cognitam reſpiciunt, vel eius augmenta vtilita-
nque futuro aeuo inde exſpectandam. Ergo
1. de vtilitate ſcientiae a medicis ipſis acquiſitae p. 7.
commoda publica redundante. Haec adiuuatur
optima tironum medicorum inſtitutione per prae-
epta morum, per acquiſitam cognitionem rerum
edicarum, per eas dotes internas et externas, quae
morem beneuolentiamque virorum honeſtorum
mparare queant; b) euitatione vitiorum, in quae
edici iuniores facile incurrunt, aeque ac c) eorum,
quae veterani procliues eſſe ſolent, vbi inprimis
ſquiritur, an et ſub quibus momentis arcana medi-
permittenda ſint, ſimulque pilularum balſamica-
m ab auo Cl. Auctoris inuentarum compoſitio ex-
ſime docetur *); et d) officiis magiſtratuum ad
tes iſtas medicorum dirigendas commodoque pu-
ico vtiles reddendas.
2. De vtilitate ſcientiae per appoſitam inſtructio- p. 45.
m eorum, qui medici non ſunt, inprimis iuuenum
academiis verſantium. Diaeteticae praecellentia
ae therapeutice. Vtilitas medicinae popularis in
ucatione infantum, in auertendo vel arcendo dam-
a lectione librorum medicorum non appoſite con-
riptorum metuendo e. ſ. p. Limites eiuſdem.
3. De augmento ſcientiae medicae ipſius. Obſer- p. 80.
tiones quomodo colligendae, ordinandae et in vſum
ocandae. Quaenam huc pertineant: exploratio ſta-

*) Parantur ex gummi iuniperi et myrrhae ſingulorum libra vna, terebinthinae leniter coctae et ſuccini flaui ſingulorum ſeſquilibra, radicis ialappae libris tribus, extractorum vinoſorum fumariae, cardui benedicti, abſynthii et extracti aquoſi cochleariae ſingulorum libris duabus. Doſis in adultis ſcrupuli, in infantibus tot granorum, quot aetatis anni; imo in recens natis vnius alteriusue grani in lacte ſoluti.

tuum morboſorum, quorſum etiam ſtudium hiſtor
medicinae eo reſpectu referendum; collectio ob
vationum optimarum ſuper effectibus remedior
et hiſtoriarum morborum ſingularium abſque
theoria; atque inde reſultans theoria, quantum
ad certitudinis gradum quemdam deductum eſt.
collectionibus iſtis nonniſi ea recipienda eſſe, q
fini propoſito appoſita ſint. Cauſſae ad eiuſm
inſtitutum compellentes; vtilitas inde ſperanda;
pedimenta eidem ſe obiicientia, et quomodo iis
currendum.

p. 107. Pars ſecunda. Obſeruationes praeliminares d
dole, conſtitutione, fontibus et vſu inſtitutionum
rapeuticarum, inprimis praeſentis. Sect. I. de ra
inſtitutionum therapeuticarum. Caput 1. de e
fine in genere, methodoque in iis ſequenda. Th
peutice ſit apparatus veritatum vtiliſſimarum ex d
plinis praeparantibus depromtarum in eum fi
collectus et propoſitus, vt cognitio et exercit
praeceptorum iſtorum medicum aptum reddat ad
rationem morborum ſuſcipiendam et perficien
diſtinguenda igitur ab exercitio artis ipſo et d
iſtis, quae in ſcriptis medicorum adhuc delitesc
nondum in vſum ductae. Quantum momentum p
ſitum ſit in methodo hanc ſcientiam proponendi. H
ius defectus triplicis generis: 1. quia veritates
detectae vel prorſus non, vel minus apte in vſum c
vertuntur: *defectus ſcholae;* 2. quia deſunt adh
quaedam veritates, quas detectum iri praeuide
quidem, quae vero nondum examinatae et ordino
ſunt: *defectus temporis;* 3. quia exiſtunt rationes
indole exercitii artis ipſa profectae, quae commu
cationem huius vel illius partis dexteritatis pra
impoſſibilem reddunt: *defectus naturalis.* Iam de p
mo tantum ſermo eſt: ergo

Ca

Cap. 2. de nonnullis defectibus ſcholae, et qua p. 117.
tione iis medendum ſit: per coniunctionem par-
ium quarumdam ſemiotices cum therapeutice, nimi-
um ſignorum criſeos et cauſſarum therapeuticarum
ndicationis curatoriae); per fidam enarrationem
mnium defectuum in ſcientia hac obuiorum, reme-
iorumque iiſdem medendi; per diligens examen,
n et quando medico moliri aliquid liceat necne;
er accuratam ordinationem remediorum diaetetico-
um et proprie curatoriorum, effectuumque acceſſo-
iorum ab his pendentium; per ſeparationem empi-
iae rationalis a parte magis ſcientifica therapeutices;
er-doctrinas chirurgicas medico neceſſarias; per
eterminanda ac limitanda ea momenta, quae in do-
enda therapia generali nos ſpeciali carere poſſe no-
is perſuadeant; per expoſitionem notionum funda-
mentalium therapeutices (hic aeque ac in praeceden-
i copioſe de defectibus conſuetae diſtinctionis indi-
ationum); per allegationem remediorum pharma-
euticorum aptiſſimorum; per ſcriptorum huc perti-
entium recenſionem; per candidum examen prae-
udiciorum de nimis remota relatione doctrinae ad
xercitium artis et nimio pretio experientiae propriae.
Cap. 3. de vtilibus quibuſdam repetitionibus in p. 209.
herapeutice, exempli loco potiſſimum tractatione
materiae medicae, variarumque eius tractandae me-
thodorum commodis et incommodis.
Sectio II. de fontibus therapeutices et cognitio- p. 220.
num medici, et inprimis de iuſta aeſtimatione relatio-
nis experientiae ad vtrasque. Fontes hi ſunt obſer-
vationes ſiue experientiae ad ſcientiam applicatae, ex
qua in medico dotibus ingenii et ſcientiis praeparan-
tibus inſtructo habilitas practica enaſcitur. Has obſer-
vationes vtrum ex aliorum, an ex propria experientia
magis haurire conueniat, diſquiritur. Ea ſola ſuffi-
cere noſtris temporibus plane nequit, neque, niſi ap-

plicatio ad ſcientiam acceſſerit, licet ampliſſima, quae quam ad artem et doctrinam confert. Vſus eiuſdem in diagnoſi morborum quorumdam; in prognoſi, quae tamen crebro peccatur a veteranis in praeſagiendo exitu, neglecto remediorum ſelectu cet.; in maiori artis faciendae habilitate, quae vero etiam ad auia deducere et a iuniore medico maiori attentione compenſari poteſt; in detegendis iis defectibus, quos ſuperius *defectus ſcholae*, minuendisque iis, quos *defectus temporis* dici conſpeximus, vnde plura poſterius demum inſeruitura commoda proficiſcuntur; denique in commodis quibuſdam, in ſolum medicum et aegrotum clam quaſi redundantibus. Conſectaria, corollaria quaedam ex ante dictis, bene et concinne propoſita, ſed a breuitate noſtra aliena: inprimis pla-
p. 278. cuere nobis, quae de obligatione medici ad experientias proprias publici iuris faciendas dicuntur.

p. 309. Sectio III. De vſu inſtitutionum therapeuticarum. Qui therapeuticen profitetur, nonniſi exempla exhibet, quomodo ipſe obſeruationes ad doctrinam applicuerit; inde obligatio eius ad fontes huius doctrinae indicandos oſtendendumque, qua ratione eadem ad maiorem perfectionis gradum euehi poſſit; aequa ac officium tironis doctrinam propoſitam ſibi cognitam reddendi et amplificandi, propriumque ſyſtema practicum condendi et continuato ſtudio perficiendi. De tolerando aliorum medicorum in doctrina diſſenſu. De noxis ex nimia confidentia et diffidentia ergo ſe ipſum. De ſtudio in academia et poſt diſceſſum ex eadem. De politica medici.

XI.

D. SILVESTER MAHON'S *Arzt für das ſchöne Geſchlecht. Aus dem Engliſchen überſetzt und mit praktiſchen Anmerkungen und einem Regiſter begleitet*

tet von D. CHRISTIAN FRIEDRICH MICHAELIS, *Arzt am Johannishoſpital zu Leipzig. Leipzig bey Johann Friedrich Junius* 179 . 8 *mai pagg.* 210. *abſque praefamine traductoris, capitum elencho et indice.*

i. e.

YLVESTRI MAHON medicus ſexus pulchrioris, ex anglico verſus annotationibusque practicis et indice auctus a CHRISTIANO FRIDERICO MICHAELIS.

Prior huius libri editio *) auctori anonymo debetur: ſecundam Cl. MAHON emendatiorem curavit, ſuoque iure titulo addidit: tractatum eſſe lectori medico vtilem. Cl. autem MICHAELIS eumdem meritis quidem ſolis vindicauit, lectionem tamen ipſius ob inſperſas regulas diaeteticas (remediorum enim malorum alia longe ratio eſt) feminis iunioribus aeque ac prouectioris aetatis proficuam futuram ratus; licet enim, quae in eo contineantur, iam in Germania ignota non ſint, ea tamen in celeberrimorum medicorum operibus diſperſa tantum, non in vnum opus congeſta, reperiri. Quae quum omnino ita deprehendimus, laudamus quidem Cl. MICHAELIS operam, qui additis annotationibus ſubinde illuſtrauit, imo correxit autographum, monitaque varia eximiae vtilitatis feminis librum hunc lecturis propoſuit: eo autem ipſo nihil offendimus, quod nouitate quadam ad exhibendam ampliorem recenſionem nos adducere potuiſſet, niſi forte conſilium Cl. MICHAELIS de balneo p. 119. ex cicutae decocto in cancro mammarum nondum aperto, ſed iam dolente, tentando; et ſententiam Au-

 ctoris,

*) Every Lady her own Phyſician or the Cloſet Companion containing ample Inſtruction for the Prevention and Cure of all Diſorders incident to the fair ſex. London 1788. 8.

p. 164. ſtoris, nauſeam et vomitum in principio grauiditatis conamen naturae eſſe ad praecauendam nimiam ſuccis alimentaris copiam in grauidis, fetui adhuc nimis tenero noxiam futuram. Tredecim de reliquo capitibus totum opus abſoluitur, nimirum 1. de fluxu menſtruo; 2. de vitiis eius; 3. de haemorrhagia vteri; 4. de fluore albo; 5. de paſſione hyſterica ſeu ſpaſmis vterinis (vbi illius diuerſitas a morbo hypochondriaco docetur — neque tamen hic, neque in priori capite manuſtuprationis vllam mentionem fieri, miratí ſumus); 6. de abortu; 7. de ſterilitate; 8. de cancro; 9. de prolapſu vteri; 10. de vitiis papillarum; 11. de bona et peruerſa conditione lactis nutricum; 12. de regimine grauidarum, morbis a grauiditate et morbis grauidis ſuperuenientibus (vbi de remediis ſermo eſt, itidem faſciarum vſus non memoratur); 13. de cura recens natorum.

XII.

D. IOH. DAN. METZGERS, *königl. Preuſſ. Leibarztes, Hofraths und erſten Profeſſors der Arzneyk. zu Königsberg, mediziniſch-philoſophiſche Anthropologie für Aerzte und Nichtärzte. Zum Gebrauch akademiſch. Vorleſungen. Weiſſenfels und Leipzig, bey Friedrich Severin* 1790. 8. *pagg.* 204.

i. e.

IOH. DAN. METZGERI anthropologia medicophiloſophica in vſum medicorum eorumque, qui medicinam non callent, praelectionibus academicis accommodata.

Excitatus plus vna vice ad praelectiones anthropologicas habendas Cl. Auctor, fruſtra quaeſiuit compendium, quo vteretur, perſuaſus, vnumquemque ſibi conceſſurum, vnicum ſuper hoc argumento

Cl. ADAIR opus*) huic fini minime reſpondere. Itaque ipſe conſcribendi eiusmodi libelli periculum fecit, eo quidem euentu, vt, ſi nobis iudicare liceat, egregie ipſum propoſito ſuo ſatisfeciſſe, librique lectionem non tantum placuiſſe nobis ob dilucidum ordinem ſermonisque concinnitatem vltro fateamur, ſed ipſius etiam inſignem fore vſum cum in priuato ſtudio tum in academicis praelectionibus praeuideamus. Offendimus errores aliquos typographicos, longiori Cl. Auctoris diſtantiae facile condonandos, neque ſenſum adeo turbantes (ſenii deſcriptio p. 198. adducta in eccleſiaſte exſtat): optaſſemus tamen, vt ambiguitas, ex lineis duabus vltimis p. 144. ridiculum ſenſum deriuatura, fuiſſet euitata, quod facili negotio fieri potuiſſet.

Introductio. Nobiliſſimum omnium creatorum in orbe terrarum, extremorum omnium in ſenſu phyſico aeque ac morali capax, cum tota creatione coniunctus homo eſt. Cognitio igitur ſui ipſius quouis ſenſu ſumme neceſſaria. Anthropologiae medicophiloſophicae idea et in ſex ſectiones diuiſio. p. 13.

1. *Hiſtoria naturalis hominis.* Differentia animalium et plantarum a mineralibus in forma magis organica, niſu ſe multiplicandi, viribus creſcendi ſeque conſeruandi; animalium a reliquis in irritabilitate et vi neruea. Claſſes animalium earumque diuerſi characteres a vermibus ad mammalia, et horum ordines a cetaceis ad hominem, ſecundum diſpoſitionem Cl. BLVMENBACH**) (Cetacea tantum in maribus borealibus habitare, contradicunt itinera Anglorum in mari auſtrali***). Vnicum probatum exemplum generationis hybridae in ordine vngulatorum exiſtere, quod p. 19.

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXX. p. 514.
**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 115.
***) Ibid. p. 232.

inferius etiam Cl. Auctor repetit p. 123, forte limitationem quamdam admittit ex iis, quae Cl. ZIMMERMANN habet *)). Praeeminentia hominis ex eius propagatione per vniuerſum orbem terrarum; ex ſitu erecto, vbi ſimul Cl. MOSCATI ſolide refutatur. Characteres ſexui ſequiori proprii. Varietates generis humani ratione magnitudinis, coloris, capillorum, formae capitis: veras tamen ſpecies inde non conſtitui. Quouſque varietates hae locum habeant. Adductis aliorum auctorum diuiſionibus (vbi tamen Cl. BERTHOUT VAN BERCHEM **) deſideramus) duas tantum aſſumit Cl. Auctor, nimirum hominem album et nigrum, hunc probabiliter vnius eiuſdemque cum illo originis, neutiquam ſimiae cognatum, ad quam varietatem etiam leucaethiopes aliaeque aberrationes morboſae pertineant: intra duas has varietates concidere collocarique varie modificatas gentes gradibus imperceptibilibus inter ſe coniunctas ***). Prima generis humani ſedes probabiliter in medio Aſiae. Aliae differentiae ſexus ſequioris a potiore, praeter partes genitales, quae poſtea vberius in phyſiologia p. 114. exponuntur.

P. 55. 2. *Pſychologia medica.* Diſcrimen eius a philoſophica. *Vires animales:* irritabilitas et vis neruea. Varii earum gradus in diuerſis animalium claſſibus. Vires iſtas inter primas rerum cauſſas pertinere, intellectu humano numquam perfecte cognoſcendas. Coniunctio neruorum cum cerebro, mutuaque vtrorumque ad ſe inuicem relatio. *Homo.* Quaenam ei ſoli competant: relatio inter cerebrum et neruos ea, quae vim cogitandi efficiat, neruis cerebro potius affixis quam inde oriri viſis; ſermo; riſus et fletus; ſitus erectus, cum ſuperioribus facultatibus animae neceſ-

ſario

*) Eorumd. Vol. XXII. p. 612. et 617.

**) Vid. Comment. noſtr. Vol. XXVII. p. 133.

***) Eorumd. Vol. XXXII. p. 714.

ſario vinculo iunctus, adque tactus adeo ſenſum neceſſarius; vis inueniendi, artes brutorum ingenitas ſupplens et eo ipſo immenſe ſuperans, quod ſenſim magis excolitur homoque tarde ad humanitatem euehitur; ac denique anima rationalis, ſtructura ſubtiliore organorum ſenſuum organi interni animae ſiue coniunctionis inter animam et corpus pro inſtrumentis vtens. An inter corpus et animam intermedium quid exiſtat, non ab omni veritatis ſpecie alienum. *Vires animae:* memoria, phantaſia, ratio ſeu iudicium. Intelligentia, facultas ita vtendi viribus animae, vt neutra reliquis impedimento ſit. Ingenium, maior harum virium gradus. — *Notionum ortus:* cognitionis fons duplex, per ſenſus et intelligentiam. Ideas connatas in pſychologia medica aſſumi non poſſe. *Senſus.* Eos, quibus inſtruxit nos ſummus creator, nobis omnino ſufficere. Actio ſenſuum duplex: obiectiua ſiue inſtruens, et ſubiectiua ſiue fruens. Bruta nonnulla licet quibuſdam ſenſibus acumine, i. e. actione in diſtans, homines antecellant, tamen ab iiſdem ſubtilitate, i. e. facilitate percipiendi diuerſitatem impreſſionum, et teneritate debiliſſimas impreſſiones ſuſcipiendi vincuntur. Impreſſio externa in organa ſenſuum externorum, et interna in organon ſeu ſedem animae, forte actionis et reactionis nomine inſigniendae: obſcuritates in iis ob deficientem cognitionem virtutis nerueae. Comparatio ſenſuum in brutis cum humanis. Tactu forſan ipſas ſimias deſtitui. Guſtum in brutis acutiorem, in homine ſubtiliorem. Olfactum in genere magis fruitioni quam inſtructioni ſeruire (nos tamen, quod pace Cl. Auctoris dixerimus, in eo praeſtantiſſimum ipſius vſum poſitum arbitraremur, quod eius ope tutius quam guſtu noxias res diiudicare ſicque moniti ab iis cauere poſſimus). In auditu et viſu actionem quidem duplicem, reactionem autem ſimplicem exiſtere, ideoque ſimplicem etiam

etiam tantum perceptionem. Subtilitate quoque brutorum viſum cedere humano, quem acie interdum ſuperet. *Vis cogitandi.* Sedes organi animae ignota. Actio cogitandi inexplicabilis. Neceſſariae ad eam conditiones: conſcientia et attentio. Aſſociatio idearum eiusque leges: identitas temporis, analogia, ordo. *Vigilia ſomnus, ſomnia:* actiones corporis voluntariae et inuoluntariae; ſomnia non eſſe inſeparabiles ſomni comites, cum eſſentia animae non in cogitando, ſed in facultate cogitandi conſiſtat, ideoque nec operationem intellectus dici poſſe. Status inter ſomnum et vigiliam medius, ſiue morboſus — coma vigil — ſiue a viuida phantaſia ortus. Somnambuliſmus, idemque magneticus. *Temperamenta:* veram diuerſitatis eorum cauſſam in diuerſa mixtione irritabilitatis cum vi neruea ponendam videri, quae ipſum ſimul organon animae afficiat; inde duo eorum genera ſumma exiſtere, irritabile et torpidum. Quo irritabilius temperamentum, eo fortior aetate iuuenili niſus imitandi. *Affectus:* grati vel ingrati, plus minus vehementes ac durantes; excitantes vel ſedantes. Eorum vis in vultum, indeque pendens ſcientia phyſiognomica. *Delirium, fatuitas, autochiria:* delirii ſpecies innumerae, differentiis vix definiendis; ei affinis phantaſia laeſa hypochondriacorum et hyſtericarum, leuior melancholiae gradus. Diuiſionem in delirium ideale et nationale fundamento deſtitutam videri. Cauſſa autochiriae vel melancholia, vel infortunia omnem ſpem eludentia.

p. 99. 3. *Phyſiologia.* In hac aeque ac duabus ſubſequentibus ſectionibus breuioribus nobis eſſe licebit. *Actiones vitales:* calor ſanguinis non ab acceſſu materiae igneae ex aëre vel egreſſu phlogiſti in eumdem, vel alia mere phyſica cauſſa genitus, ſed viribus animalibus cooperantibus. *Actiones naturales. Actiones animales:* inexplicabilis ſenſatio in membro amiſſo,

ſo, v. c. amputato. Senſus internos nullo modo celerius fortiusque affici, quam per organon odoratus. Vis incredibilis et magica muſicae in animam. *Actiones ſexus*: probabiliter ſitum erectum ad fluxum menſtruum concurrere. Omnibus generationis theoriis niſum formatiuum praeferri debere.

4. *Diaetetica. Aër*: veroſimile, fulmen vapore ſuffocante necare. *Cibus et potus*: hic etiam de venenis eorumque remediis generalia. *Motus corporeus. Vſus virium et affectuum animi. Somnus et vigilia. Relatio inter humores excernendos et retinendos*: hic etiam de lactatione eiusque finibus conſtituendis, et an viris noceat abſtinentia a venere? *Additamenta quaedam*: de veſtitu, munditie, cura affectuum animi in grauidis. *Mors*. Hac etiam praecellentiam hominis prae reliquis animalibus patefieri, ſecundum HALLERVM *). p. 127.

5. *Pathologia*. Notio eius generalis. Aetiologia, eique ſubordinata noſologia. Symptomatologia. Noſologiarum methodicarum conſtitutio. Morbi pandemii, eorumque in endemios et epidemicos diuiſio; ſporadici; contagioſi; haereditarii; aetatum; ex vitae genere. Morbi migrantes: peſtis, variolae, morbilli, lepra, ſudor anglicus, ſcorbutus, purpura, lues venerea; migrationes morborum epidemicorum, vti catarrhi anni 1782. Luxus, indeque promanans inopia, morborum fontes vberrimi. Artis veterinariae pretium. p. 167.

6. *Hiſtoria et aeſtimatio ſcientiae medicae*. Antiquiſſima omnium medicina domeſtica. Homines vſum quorumdam remediorum ab animalibus didiciſſe, fabuloſum. Friuola BRAMBILLAE opinio de maiori chirurgiae antiquitate. Medici priſci in deorum numerum relati. HIPPOCRATES. Res Romanorum medica: ſeruitutem et exilium medicorum fide hiſtori- p. 181.

ca

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XIIII. p. 289. ſequ.

ca deſtitui. Arabes et Arabiſtae. FRIDERICI II. Imperatoris merita. Noua lux ſcientiis ſaeculo XV. et XVI. effulgens, medicinae quoque proficua. PARACELSVS. CARTESII philoſophia, eiusque in medicina non. HELMONTIVS; DE LE BOE SYLVIVS. HARVAEI merita. Anatomes et phyſices incrementa exeunte ſaeculo XVII. SYDENHAMVS. Prior pars ſaeculi XVIII. BOERHAAVIO, FR. HOFMANNO, STAHLIO illuſtris reddita; variolarum inſitio; anatome MORGAGNII, HALLERI, ALBINI ſtudiis aucta. Poſteriorem partem noſtri ſaeculi non adeo augmenta, quam excultiorem ſcientiam attuliſſe. — Obiectiones ſcientiae medicae ab aliarum ſcientiarum cultoribus factae, earumque refutatio. Quantum aliae ſcientiae illi debeant.

XIII.

IOHANN ANDERSON'S, *der Arzneywiſſenſchaft Doctors und des königlichen Collegiums der Aerzte zu London Mitglieds, heilkundige Bemerkungen über die natürliche, freywillige und durch Kunſt erregte Ausleerung im menſchlichen Körper. Nach der zweyten vermehrten Londner Ausgabe verteutſcht und mit einigen Anmerkungen verſehen von Dr.* CHRISTIAN FRIEDRICH MICHAELIS, *Arzte des Johannishoſpitals zu Leipzig. Breslau,* 1789. *bey Johann Friedrich Korn dem aeltern.* 8. *mai. pagg.* 188. *ſine indice capitum* *).

i. e.

Obſeruationes medicae ſuper euacuatione corporis humani naturali, ſpontanea et artificiali, auctore

*) Medical Remarks on natural, ſpontaneous and artificial Evacuation. By I. ANDERSON, M. D. F. S. A. Second Edition. London 1788. 12. Prior editio 1787. prodiit.

auctore IOH. ANDERSON. Ad editionem alteram auctam Londinenſem germanice vertit nonnullasque notas adiecit CHR. FRIED. MICHAELIS.

Syſtematicas tractationes in hoc libro fruſtra quaeſieris: ſunt poſitiones ſingulae, non adeo concinno ordine diſpoſitae, quod ex contentis a nobis indicandis patefiet. Verſio nonnumquam anglicum idioma ſapere nobis viſa: interdum non ſatis clare ſenſum exprimere, quod forte auctori ipſi tribuendum, vti v. c. p. 25. 39. 64. 77. 89. 151. 162.

Cap. 1. *De euacuatione in genere.* Modus agendi euacuantium, inque eo declarando difficultates. Diverſa actio ratione climatis, alimentorum, diuerſae remediorum praeparationis (apium deſtillatione virtute veſicas excitandi orbari, forte de ranunculo intelligendum — tincturae antimonii Huxhami Cl. MICHAELIS vim emeticam denegare videtur, quam tamen plerumque a prima ſaltem doſi, licet eadem minore, obſeruauimus), virium naturae. De virtutibus medicamentorum ſpecificis. De damnis ab euacuantium vſu peruerſo metuendis. p. 1.

Cap. 2. *de vomitu*: 1) ſymptomatico a cauſſis remotis, in initio morborum contagioſorum, exanthematicorum, febrilium a ſpaſmis primarum viarum, paroxyſmis arthriticis, in infantibus (optime vino ipecacuanhae iuuando, quo primarum viarum robori proſpiciatur), a cruditatibus ventriculi, cruento a ſuppreſſis menſtruis; 2) ſympathico a laeſione cerebri, grauiditate vel alia ſuppreſſionis menſtruorum cauſſa, calculo renum et veſiculae felleae, ſpaſmis abdominalibus, affectibus animi, nauigatione in inconſuetis; 3) ab antipathia; 4) critico; 5) artificiali, criticum imitante et ſupplente. Salutares effectus remoti emeticorum. Quibus morbis ſingula conueniant: ſinapi p. 10.

vel

vel amoracia praecipue in arthritide ad ventriculum conuerſa. Vomitorium ſiccum ex aequalibus partibus tartari emetici et vitrioli caerulei, a Cl. HOVLSTON inprimis commendatum *). Vſus emeticorum in initiis morborum malignorum; in febribus intermittentibus. Nimius eorum effectus acidis vel ſpiritu vini compeſcendus (de hauſtu Riuerii nihil). Contraindicantia non tanguntur, lectoribus ad DVNCANVM ablegatis.

p. 21. Cap. 3. *de euacuatione per inferiora.* Itidem multa abſque ordine et ſatis manca propoſita. Effectus purgantium in corpus vniuerſum. Mannae adulterationes. Draſticorum noxae: eorum antidota (nitrum ſulphuri, alkalia fixa draſticis, vrticam aconito aliisque plantis venenatis, arſenico oleum mederi). Vſus valentiorum purgantium in obſtructione pertinaci quouſque continuandus. Huius ſequelae. Eam in febribus quibuſdam boni ominis eſſe, exemplo peſſimo DIEMERBROEKIO allato. Cur laxantia interdum obſtructionem tollant, fortioribus antea fruſtra tentata. Quando purgantibus in febre vtendum. Suſpectus eorum vſus in arthritide: neceſſitas clyſterum in eadem retrogreſſa. Alia monita in hoc rerum ſtatu obſeruanda. Magneſiae vſum in conſtitutionibus arthriticis experientia edoctus Cl. MICHAELIS laudat. Euacuantia in diarrhoea; in febribus intermittentibus. Opii nimis mature in diarrhoeis in vſum vocati noxae. Purgantia aduerſus vermes accedente febre remittente ab irritatione neruorum aliena. Noxae eorum in gonorrhoea venerea. Digreſſio de damnis a ſaliuatione metuendis: methodum alternatem pertinaciſſimis morbis vincendis ſufficere, quod etiam Cl. MICHAELIS teſtatur. Hydropem in principio ſae-

pius

*) Obſervations on poiſons and on the cure of obſtinate dyſenteries. London 1784. Germanice verſae Altenb. 1786. 8.

pius fugari ſingula veſpera exhibitis grano vno calomelanos, granis quatuor camphorae et duobus extracti hyoſcyami, interpoſito quolibet quinto vel ſexto die euacuante et ſex vel ſeptem granis radicis ialapae et ſcrupulo dimidio cremoris tartari adhibitoque ſimul decocto radicis taraxaci vel infuſo baccarum iuniperi et nonnumquam herbae marrubii albi, potuque acidulato. Vſus acidorum mineralium in morbis ad putredinem procliuibus. Noxae potus calidi in hydrope. Rurſus laudes methodi alterantis in diſcutiendis bubonibus venereis. Aquae minerales tepidae et balnea aquae marinae tepida in glandularum vitiis. Damna ex euacuantibus fortioribus in hydrope oriunda; a paracenteſi itidem parum auxilii exſpectandum. Euacuantium vſus in ſpaſmo (?) cerebri, mania, paralyſi. Noxae in lepra, ſcrophulis, ſcorbuto. Mercurius viuus in ileo ſumme anceps remedium. Rurſus de lymphae diatheſi ſcrophuloſa. Noxae purgantium in grauidis: vſus leniorum euacuantium poſt partum; ſalibus tamen non temere abutendum. Minus appoſite ſalibus effectum refrigerantem tribui. Salem mirabilem Glauberi artificialem naturali longe inferiorem eſſe. Cautelae in vſu aquae marinae aduerſus efflorescentias faciei. Vſus eiuſdem aduerſus alios morbos: inſufficientia eius aeque ac aliorum contra hydrophobiam. Noxae balneorum ex aqua marina in arthritide, morbis febrilibus, diſpoſitione ad haemorrhagias. Quae in vſu externo et interno aquae marinae obſeruanda ſint. Exempla curationum eadem praeſtitarum. Vbi eadem vti nequeamus, ſolutio ſaturata ſalis marini in aqua dulci idem efficit. De aquarum mineralium vſu. De purgantium fortiorum viribus corrigendis noxisque eorum auertendis. Extractum cicutae laudano praeferri debere. Alia euacuationis aluinae auxilia: clyſteres eorumque diverſitas; digreſſio de opio. Clyſteres ex nicotiana

eiusque fumo. Suppoſitoria. Aqua frigida femoribus et abdomini adſperſa. Electricitas. Remedia cutí impoſita. vbi ſimul de aliorum remediorum externorum effectibus in partes internas agitur.

p. 73. Cap. 4. *de euacuatione per tranſpirationem.* Eam eſſe vel naturalem, ſymptomaticam, criticam, vel artificialem, hancque rurſus vel ſenſibilem vel inſenſibilem. De vtriuſque differentiis, cauſſis ſudoris, ſudoribus partialibus varia, non adeo apte ordinata. Diverſa diſpoſitio cutis mollis et denſae ratione arthritidis. Tranſpiratio ſuppreſſa, ſcorbuti cauſſa. Sudorem in febribus magis ſymptomaticum, quam criticum, haberi debere (totus autem hic locus, vt ſupra iam monuimus, obſcuritate quadam laborare nobis videtur). Febris lochialis ſudore facile ſoluenda. De ſudore artificiali: optime eum elici vaporibus admotis. De acrimonia acida humorum, arthritidem fovente; quatenus alkalinis volatilibus et roborantibus in inſultu arthritico febrem intermittentem mentiente vtendum ſit. Diaphoreticorum intempeſtiuus vſus in febribus intermittentibus; item in purpura. De tranſpiratione inſenſibili pauca.

p. 88. Cap. 5. *de euacuatione per expectorationem.* Remedia pectoralia vix exiſtere praeter vapores decoctorum ſaturatorum herbarum pulmonibus hauſtos. Sputa critica vectione in naui vel leni equitatione iuvanda: vſus horum motus generum in incipiente phthiſi.

p. 95. Cap. 6. *de euacuatione vrinae.* Huius diuerſitas; ſigna ex ea petenda. Diſpoſitio calculoſa. Diaeta prophylactica: Cl. MICHAELIS vegetabilia multum acescentia ex eadem proſcribit. Remedia calculum ſolventia: monita de cauto vſu cantharidum; diuretica in ſe conſiderata parum valere. Phoſphori vires tentandae, quum aërem fixum expellere dicatur. Fermentatione alcalium cum acidis ceſſante, omnem etiam

etiam effectum in calculum ceſſare. Liquorem anodynum nonniſi palliatiue agere poſſe. De efficacitate quarumdam aquarum in ſoluendo calculo. Quam ſubito calculus generari poſſit: exemplum ſenis, in quo illud probabiliter intra tres menſes euenerat. Virtutes medicae vrinae: femina, poto quotidie ieiune vrinae cyatho, a cachexia cum digeſtione depraua, menſtruis, inordinatis aliisque ſymptomatibus, aliaque a diuturnis colicis doloribus conualuit; remedium hoc leniter aluum, fortiter vrinam mouit. Vires externae in fotu et clyſtere.

Cap. 7. *de euacuatione bilis.* Hiſtoria tympanitae, in quo ſecretio bilis per ſeptem hebdomadas ſuppreſſa fuerat: morbus ab iſchuria, venaeſectionibus largisque laudani liquidi doſibus oppugnata ortum duxerat, cui poſtea ex diuturno vſu rhei cum calomelano febris remittens cum inſigni ſymptomatum augmento acceſſerat; largo tamen corticis peruuiani rubri vſu profligabatur. Similis morbus in femina cum menſtruorum ſuppreſſione, eodem modo ſanatus. Varia de bile eiusque concretionibus et aduerſus eas remediis; de bilis animalium (tantummodo anguillae, ex BOERHAAVIO) vſu medico; deque eius vſu externo aduerſus vermes et ſcabiem, et in fine (quis haec ibi quaeſiuiſſet?) pauca de viperarum vſu. p. 113.

Cap. 8. *de euacuatione per fluxum menſtruum.* Termini huius fluxus ratione aetatis et quantitatis ſanguinis excreti. Incommoda ſub ceſſationem eiusdem et poſt eam. Viae menſium inſolitae. Febri malignae vel putridae, ipſis adeo criticis diebus, accedens, lethalem vtramque reddit. Cauſſae huius fluxus dubiae. Morbi ab eius ſuppreſſione: eum mouendi auxilia, corporis conditioni accommodanda, non tamen nimis vrgenda, cum nullam viderit feminam Cl. Auctor, cui menſtrua poſt ſex menſes elapſos redierint. Aliae euacuationes ſanguineae fluxum p. 124

menſtruum vel ſupprimentes vel imminuentes. Fluxus nimius a cacochymia et laxitate pendens; fluor albus ex iiſdem cauſſis.

p. 136. Cap. 9. *de euacuatione ſeminis virilis.* Illius praematurae et nimiae noxii effectus. Coitus modicus feminis ſalutaris. Seminis boni fontes ex humoribus bonis; eius ſecretio progreſſu annorum parcior. Stimuli venerei morboſi. Satyriaſin ſemel vidit Cl. Auctor in ſene 82 annorum, poſt initum denuo coniugium hemiplegia affecto, et vix reſtituto libidinis poenam vna cum vxore morte luente.

p. 140. Cap. 10. *de euacuatione lactis*: cuius intermiſſus ſequelas ad chirurgiam et artem obſtetriciam amandat.

p. 141. Cap. 11. *de euacuatione per ſanguinis miſſionem.* Duplex tantum eius finis exiſtit: vel abundantiam minuendi, vel nimium motum auctamque inde irritationem refraenandi. Modus in ea ſeruandus; momentum Cl. MICHAELIS de ea in grauiditate circumſpectius adhibenda, cautoque vſu refrigerantium in puerperio, quibus forte cauſſis metaſtaſes lacteae noſtra aetate frequentiores adſcribendae ſint. Cautio in paralyſi: moderatio in pleuritide. Opii anceps vſus ad praecauendum abortum. Venaeſectionis limites in febribus vernalibus, in morbis chronicis, malignis, putridis. Venaeſectio in initio morborum exanthematicorum. In febre putrida in genere nocet: ad duas tamen vel tres vncias in febre continente putrida annorum 1772. et 73. ſub initium ob imminentem anginam gangraenoſam requirebatur. Noxae venaeſectionis in arthritide, vbi tamen hirudines loco affecto admotae proſunt. Differentia venaeſectionis ratione aperturae maioris vel minoris, item ratione ſitus corporis. Vena iugularis et ſaphenae, arteriaeque temporalis ſectio. Cucurbitarum ſiccarum et cruentarum vſus. Hirudines.

Cap.

Cap. 12. *de euacuatione per veſicatoria.* Cantha- p. 157.
ridum actio: earum effectus irritans, euacuans, de-
riuans, ſedans et antiſpaſmodicus. In febre neruoſa
curatio ſolis veſicatoriis vinoque rhenano abſoluta.
In febribus exanthematicis (eas enim intelligendas
eſſe arbitramur, licet petechiales dicantur) non prae-
mature applicanda, ne eruptio puſtularum difficilior
reddatur vel prorſus impediatur, ſed morbo decre-
ſcente, ne materia morboſa reſorbeatur. In febri-
bus acutis, ſanguine exaeſtuante, calore ſicco, ſumma
inquietudine, noxia. Putridam diſpoſitionem iis
non augeri. De ſinapiſmis, et in addita nota Cl.
MICHAELIS de mezereo.

Cap. 13. *de euacuatione per fonticulos.* Varia de p. 165.
vlceribus artificialibus eorumque antiquitate ex aliis
auctoribus. Ad ſanandum delirium regis Angliae
vlcus ſpontaneum in nucha multum contuliſſe, Cl.
MICHAELIS coniectura eſt. Locum fonticuli indif-
ferentem eſſe, cui vero Auctoris noſtri ſententiae
Cl. MICHAELIS contradicit. Vtilitas fonticulorum
in tumoribus glandularum et vlceribus poſt variolas,
iuncto interno et externo aquae marinae vſu; in tol-
lenda diſpoſitione ad obſtructionem aluinam, ſi ea ab
impedita ſecretione humorum inteſtinalium ſiue in
temperamentis calidioribus a conditione humorum
pendet, in vſum ſimul ductis refrigerantibus. Fe-
minis nuptis diſſuadetur fonticulorum vſus, ob me-
tum conceptionis impediendae. Digreſſio de cauſſis
abortus. Quomodo noxae ex ſiccatione fonticulo-
rum praecauendae. Modi applicandi fonticulos.
Moxa. Exempla quorumdam morborum fonticulis
ſanatorum.

Cap. 14. *de euacuatione per ſternutatoria.* Eorum p. 180.
vtilitas et abuſus.

Cap. 15. *de euacuatione per ſialagoga vel maſtica-* p. 184.
toria. Maſticatoriorum vſus in congeſtionibus fero-

ſis capitis, ad prophylaxin in aëre contagioſo. Salivatio ſalutaris in morbis exanthematicis. Secretionis ſaliuae per nicotianam effectus in digeſtionem et neruos.

XIV.

Collectio diſſertationum et programmatum, quas (*quae*) in vſus medicos elaborauere incl. Academiae Heidelberg. Profeſſores. Praefatus eſt HENR. TABOR. Volumen primum. Continens GATTENHOFII Diſſertationes medicas. Heidelbergae, apud F. L. Pfaehler, Bibliop. Vniv. 1791. 8. mai. pagg. 384 absque praefatione.

Secundum praefationem collectio haec ſoli bibliopolae debetur, quem in ſubſequuturis voluminibus aliorum profeſſorum heidelbergenſium ſcripta academica exhibiturum Cl. TABOR ſpondet. At neque omnia b. GATTENHOFII ſcripta academica (ſi etiam ab eiusdem diſſertatione inaugurali de calculo renum et veſicae, praeſ. G. L. HVEBER, Wirceburg. 1748 receſſeris) praeſens volumen complectitur. Optaſſemus praeterea, vt tempus, quo ſcripta ſunt ſingula, additum, quantum ex iis b. GATTENHOFIO, quantum forſan reſpondentibus tribuendum, indicatum, ac denique vt dictionis puritati hinc inde aliquantum proſpectum, vitiorumque typographicorum cauendorum maior cura adhibita fuiſſet. Paucis nunc ſingula indicabimus.

p. 1. *Specimen ſiſtens paraphrenitidis rationem et curationem.* Vt verum fateamur, nullum veſtigium inuenimus, Cl. Auctorem hunc morbum tunc, quum libellum hunc ſcriberet (1751), ipſum obſeruaſſe. Egregia eſt deſcriptio diaphragmatis functionumque ipſius, HALLERI diſcipulo digna. Arſenicum linguam non afficere, non in vniuerſum aſſereremus:

p. 18. 30.

cryſtal-

cryſtallinum certe, ſi cum ſumma circumſpectione lambendo exploratur, acerrimum ſaporem excitat.

Delirium ab impetu ſanguinis, neruis ſiue ipſis inflammatis ſiue inflammatione vicinarum partium tenſis, in encephalon facto deducitur. Poſſe ſubinde haerere ſpecialem in diaphragmate idioſyncraſiam, quae illud ad inflammationem prae quouis alio viſcere diſponat: hanc vero cauſſam ſignis externis aſſequi nos non poſſe. p. 20. p. 23.

Specimen inaugurale medicum de ventriculi et inteſtinorum ratione habenda, in ordine ad aeſtimandas medicamentorum vires. Terrea, terreogelatinoſa, ſulphur, calces antimonii, cinnabarin, crocos martiales, corpora mere aut maximam partem reſinoſa, vt ſanguinem draconis, gummi hederae, iuniperi, maſtichen, benzoen cet. vel prorſus inertia eſſe, vel raro actionem vltra primas vias extendere. p. 29.

De haemorrhagiis. Cauſſae prolixe et concinne exponuntur, ſaburra tamen primarum viarum non memorata, ſed tantum bilioſi temperamenti in genere mentione facta. Ad curationem recentioribus temporibus multa eaque magni momenti acceſſiſſe, quisque nouit, quorum igitur defectum hic arguere velle iniuſtum foret. Opii exiguas doſes, pulveri abſorbenti WEDELII additas, aliquoties efficaces experientiam comprobaſſe, maxime ſi ſpaſmus haemorrhagiam produxerit aut ſuſtentauerit. p. 53. p. 102.

De febre epidemica putrida. Febris haec proteiformis quibus annis graſſata ſit, ob omiſſum, vt ſupra monuimus, diſſertationis editae tempus non patet: ipſam tamen circiter 1765 prodiiſſe probabile. Variae obſeruationes Moguntiae factae ſunt, vt adeo, vtrum hic an Heidelbergae habita ſit diſſertatio, dubites. Licet pro ſubiectorum varietate nunc inflammatorius, nunc bilioſus ſimplex, nunc putridus eſſet morbus, tamen ad vnicam febrem bilioſam reducen- p. 104.

dum eum putat Cl. Auctor, exemplo TISSOTI in epidemia Lauſannenſi, cum qua plurimum conuenit, PRINGLII et HVXHAMI. Tres iſtae ſpecies ſollicite deſcribuntur, medendique methodus exponitur: nos vero ab iis tradendis breuitas prohibet, praeſertim quum nihil incogniti inueniſſe nobis viſi ſimus.

p. 157. *De curis infantum.* Florido dictionis genere (pla-
p. 236. cuit inprimis nobis ſermo de veſtitu infantum) de iis exponitur, quae partus difficilioris adiumenta, recens nati debilioris refocillationem, capitis eiusdem, ſuperficiei externae, primarumque viarum curam, nutritionis, ſomni ac vigiliarum, veſtitus, caloris ac frigoris rationem ſpectant, copioſe auctoribus ſelectiſ-
p. 228. mis in vſum ductis. Sacchari moderatus vſus conceditur, abuſu denium damnato.

p. 253. *Specimen de ortu, progreſſu vermium mira phaenomena in corpore humano producentium.* Ratione temporis, quo ſcriptum eſt, quam plurima ex iis, quae tunc ſuper his argumentis (vermium in ſuperficie corporis nonniſi in tranſitu facta mentione) remedia-que aduerſus vermes innotuerant, ſollicite congeſta concinneque diſpoſita continet. Expoſitis ſingulis de ortu vermium ſententiis, certi quid ſtatuere Cl. Auctor non audet. Anthelminthicorum claſſes variae: ea, quae pituitam primarum viarum reſoluunt et euacuant, mercurialia vel ſola vel purgantibus mi-
p. 298. pta; aromata acria (allium crudum cocto vel infuſo praeferendum ob oleum eſſentiale, cui potiſſimum virtus debeatur, cautius tamen adhibendum in temperamento cholerico ſanguineoque, ſiccitate fibrarum, irritabilitate neruorum, et omittendum praeſente febre, ſanguine tenuiore et acriore, propenſione ad haemorrhagias); oleoſa; ſalina, purgantia,
p. 309. amara (ſemina ſantonici et tanaceti potius ſingulari ſapore et odore vermibus inimica, quam amaro principio);

cipio); dulcia; ſpirituoſa *); mechanica vi vermes deſtruentia et laedentia, quorſum corallina, ſtanni (quod non quidem adeo ob inhaerens principium ar- p. 315.
ſenicale, ſed ob admixtum plerumque plumbum ſuſpectum putandum) martisque limatura, huiusque vitriolum pertinent.

Momenta medica de cruſta ſanguinis ſic dicta inflam- p. 320.
matoria. Expoſitis phaenomenis, ſub generatione huius cruſtae in ſanguine ex vena miſſo conſpicuis, mutationibus, quas eadem ſubit, morbis aliis, in quibus praeter inflammatorios conſpicitur, gelatinoſorum humorum coagulis eorumque effectibus in corpore mortuo detectis, concluditur, cruſtam hanc recte p. 345.
in gelatinae animalis vitio ponendam videri; hoc autem non in condenſatione, ſed reſolutione globulo- p. 358.
rum cruoris exiſtere, quod multis argumentis probatur. In pulmonum infarctu, ſanguine ex vena miſſo p. 365.
inſigni cruſta obtecto, largus et quotidianus ſucci naſturtii aquatici vſus tam copioſa ſputa puriformia excitauit, vt exhauſtus demum aeger ſuccumberet. Hanc gelatinae animalis mutationem ac deliqueſcen- p. 368.
tiam, ab ipſis vitae viribus vitalique vaſorum actione productam, coctionis ſpeciem efficere, vti in aliis morbis euacuationes criticae humores coctos oſtendant; eadem nihil accommodatius eſſe reſolutioni globulorum ſanguineorum iuſto denſiorum; denſita-

*) Meminimus militis gregarii ex copiis imperii in bello ſeptenni, vino aduſto deditiſſimi, qui quum aliquando iuſſu praefecti verberibus ebrietatis, in cuius excuſationem fruſtra cardialgiam atrociſſimam nulloque alio modo mitigandam adduxerat, poenam tuliſſet, in puteum metallicum ſe praecipitans vitam finierat; in cuius ſectione in conſpectum prodiit lumbricus mortuus ſatis magnus, omento incumbens, nulla patente via, per quam eo deuenire potuiſſet.

tem lentoremque talem, qualis ſanguine emiſſo quieſcente cognoſcitur, in motu per vaſa non poſſe aſſumi; inde, niſi nimia ſit, denſitatem ſanguinis emiſſi in morbis inflammatoriis non malum, ſed bonum ſignum praebere; excretiones criticas per ſputa et vrinas cum hac gelatinae iſtius conditione ita connecti, vt plerumque ab ea ſuppeditari videantur; eandem rationem eſſe abſceſſuum poſt eiusmodi febres enatorum; inde in longioribus ſuppurationibus ſanguinis naturalem quantitatem ſenſim conſumi cachexiamque induci; inde naturam inflammabilem puris patere. Tandem quaedam de abuſu venaeſectionis et methodi antiphlogiſticae, peruerſae de cruſta inflammatoria theoriae ſuperſtructo.

p. 379.

p. 382.

XV.

FRANC. BOISSIER DE SAUVAGES noſologia methodica ſiſtens aegritudines, morbos, paſſiones ordine artificiali ac naturali. Caſtigauit, emendauit, auxit, icones (iam X.) etiam ad naturam pictas adiecit C. F. DANIEL. Tom. I. Liſiae ſumtu E. B. Schwickerti. A. MDCCLXXXI. 8. mai. pagg. 316. Praef. pag. VI.

Cl. DANIEL, ipſe auctor ſyſtematis aegritudinum, de cuius ratione olim ad lectores noſtros relatum eſt *), hoc ipſo labore dignum Sauuagiani operis **) editorem ſe probauit. In praefatione iuſtum operi huic ſtatuendum pretium definit, et quae ipſe in hoc primo tomo, claſſem primam *vitiorum* complexo, quem reliquos mox inſequuturos pollicetur,

*) Comm. noſtr. Vol. XXIIII. p. 704. Tomus ſecundus prodiit Halae 1782. 8.

**) Prima editio eſt indicata in Comm. noſtr. Vol. XII. p. 37.

etur, praeſtiterit, refert: nimirum in theoria athologica reſecuit, quae in ſequentibus nullius eſſent aut vtilitatis aut connexionis, item nimias repetitiones; paſſim e contrario ſententiam Auctoris aut illuſtrauit aut correxit (quod inprimis in fundamento ordinandorum morborum conſtituendo non ex ſymptomatologia ſola, ſed etiam anatomica et poſſimum aetiologica methodo anniſus eſt), nouas ſynonymias nouasque ſpecies et varietates aegritudinum, hinc inde etiam quaedam ad curatiorem differentiam ſtabiliendam, et quae curationem ſpectant, recentiorumque obſeruationes nonnumquam adiunxit, ſtilumque interdum emendauit: ex quibus patet, numerum paragraphorum ſpecierumque fere vbiuis a prioribus editionibus diſcrepare. Ad finem totius operis verorum morborum connexionem ſeu noſologiam veram, omiſſorumque ſupplementa, ſe ſubiunctorum ſpondet.

Iam potiora ex his additamentis indicanda arbitramur. Vindiciae diuiſionis morborum ſecundum ſedem anatomicam partis affectae, itemque ſecundum cauſſas. Defenſio diuiſionis in legitimos et veros, ſpuriosque et falſos (quam Cl. SAUVAGES ipſe in *aneuryſmate* retinere coactus fuerit). Accuratam ſymptomatum cognitionem non ſolum diagnoſin et prognoſin, ſed omnino pathologiam, noſologiam, therapiam implere, lectoribus ſimul ad proprium aegritudinum ſyſtema amandatis. Quae SAUVAGES de ſympathia pauciſſimis expoſuit, potius ad ſic dictas vires morborum medicatrices ſpectare: ſcriptores quidam recentiores de illa exponentes. Auctoris laborem medicos plurimos attentos reddidiſſe, vt ignotos morbos agnoſcerent. Tantam vtilitatem ex veterum (quibus tamen ſua laus maneat) lectione et comparatione morborum ab iis commemoratorum cum recentiorum deſcriptionibus non eſſe expectandam, quantam non

p. 20. 26
p. 29. 47.
p. 49.
p. 201.
p. 67.
p. 97.
p. 124.
p. 126.

pauci

p. 167. pauci arbitrentur. *Vitiliginem* obſeruauit Cl. Elli
in milite ſeneſcente pedes obſidentem, vt ipſe di
bat connatam, ob matris imaginationem, piſcem o
p. 171. ſtupeſcentem. *Guttae roſeae* nouam addit ſpeci
coelibatus. *Naeui ſigilli* varietates ex SAGARO.
p. 173. *ecchymoma hyponychon* referuntur ex VOGELIO ſ
p. 174. *cyaſma*, *ſtigma*. *Puſtulis* additur *proſopia* SAGA
p. 179. *phlyctaenis*, *ophthalmica*; *herpeti* ſpecies nouem,
p. 180. xime ex POUPARTO. Noua eſt *epinyctis ſolita*
p. 183. LORRY. *Hydroa ſecundaria ſcabioſa*. Ordo tert
p. 184. *phymatum*, multum contractus: *erythema* enim
eryſipelas, *oedema* aut ad hydr. *anaſarca* aut ad *phlegm*
ſiam, *emphyſema* ad *pneumatoſin*, *ſcirrhus* (quate
morbus propathicus) ad ſupplementa, *phlegm*
bubo, *parotis*, *furunculus*, *anthrax*, ad phlegma
cancer ad ſupplementa, *paronychia* et *phimoſis* ibid
p. 187. ad *phlegmaſias* amandantur. *Sarcomatis* ſpecies
p. 191. ſupplementa referuntur. *Pterygii* nouae ſpecies
p. 194. *cancroſa* et *lardacea* SAGAR. *Bronchocele* inter
p. 195. EIVSD. *Exoftoſin benignam* rectius dici *ſimplicem*, t
picam: exemplum eius ab orto poſt tineam repulſam
eryſipelate cruris, huiusque per ſaturnina repulſion
cum carie per ſeptennium durante, ita vt fruſtulum
femoris vnciae pondere eximi deberet. Nouae ſpe-
cies *exoſtoſeos*, *trichomatica* CARTHEUS. et *catarrha-*
p. 202. *lis*. *Aneuryſma mixtum*. *Mariſcae* tres ſpecies con-
p. 203. ſtitutae: *paſſiua*, *actiua*, et (dubitanter) *vuula*
p. 215. *ficae*. *Ectopiarum* diuiſio alia, quam a Cl. SAUVA-
p. 223. GES aſſumta. Nouae ſpecies *exophthalmiae*, *phle-*
giſtica et *ſyphilitica*, a SAUV. ſub *exophthalmia* a
p. 227. *moſi* comprehenſae. *Hypoſtaphyles a laxitate* diffe-
rentiae: *neruoſa*, *catarrhalis*, *atrabiliaria*, *ſarcom*
p. 230. *tica*. *Proptomatis* ſpecies noua, *clitoriſmus* SAGAR.
p. 280. Inter *cyſtoceles compoſitas* dubitanter inſeritur *congr*
nita monſtroſa, veſica inuerſa cum pene ex vmbilico
p. 298. propendente. *Exarthrematis* ſpecies ſedecim et di-
ſtoſeos

flaſcos quatuor a ſedis differentia adducuntnr, a SAUV. p. 303.
omiſſae.

Tabulae aeneae variorum ex prima hac claſſe deſumtorum vitiorum, iconibus maximam partem minoribus redditis, exempla ſiſtunt, rarius tamen indicatis libris, ex quibus depromta ſunt: nona et decima ex b. HERRMANNI diſſ. de oſteoſteatomate *) deſumta eſt, licet eius nec in tabularum explicatione, nec in libro ipſo mentio fiat, et in priori ſeruatae p. 198.
ſunt litterae, in ipſa diſſertatione explicationi inſervientes, quae tamen hic deſideratur; in altera colores multo profundiores deprehendimus, quam in Hermanniana, illosque a natura ipſa recedere, ex recordatione praeparati ſicci, quod olim ſaepius verſauimus, non poſſumus diffiteri. Neque igitur nobis ſumimus ſuper neceſſitate adiungendarum harum tabularum decernere, quae librum cariorem reddidiſſe pretio forſan quibusdam inculparentur.

XVI.

Syntheſis oxygenii experimentis confirmata. Edidit FRIDERICVS LVDOVICVS SCHVRER, Argentoratenſis. Argentorati. Excudit I. H. Heitz, academiae typogr. MDCCLXXXIX. 4. pagg. 126.

Clariſſimus SCHVRER, iuuenis rerum phyſicarum ac chemicarum peritiſſimus, nunc phyſices et chemiae in ſchola artis balliſticae Argentoratenſi profeſſor, hoc libro nouam antiphlogiſticorum theoriam a LAVOISIERIO acute excogitatam iamque plurimis, inprimis Galliae, chemicis probatam complexus eſt atque experimentis ſelectis confirmare inſtituit.

Duas

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 484.

Duas in partes liber diuiſus eſt. In priore oxygenium cum calorico et luce, cum carbonio, cum metallis, denique cum hydrogenio, copulari, hinc que corpora diſtincta, partem aëris reſpirabilem, acidum carbonicum, oxyda metallica, denique aquam naſci docetur. In poſteriore parte combinationem oxygenii cum ſulphure, phoſphoro, azoto, acido muriatico euoluuntur. — — Quae adhuc ſuperſunt oxygenii vim in plantarum partiumque animalium fabricam ac compoſitionem, eiusque functiones et officia in fermentationibus vinoſa, acida putridaque demonſtrantia, auctor alio tempore perſequetur.

Experimenta maximam partem e libris probatiſſimorum chemicorum, STAHLII, SCHEELII, WIEGELII, WALLERII, INGENHOUSSII, CAVENDISHII, PRIESTLEII, CRAWFORDI cet., inprimisque ingeniosiſſimorum naturae ſcrutatorum Francogallicorum, LAVOISIERII, DE LA PLACE, MEUSNIERII, DE MORVEAU, FOURCROY, MONGE, BERTHOLLETII, GINEAU, deſumta, ſingulaque ab auctore apparatu inſtrumentorum ampliſſimo inſtructo repetita ſunt.

Apparet, noſtrum nouam Gallorum nomenclaturam chemicam latinam facere debuiſſe. Qua de re auctor ſic iudicat: non credit, excuſatione opus eſſe, quod nouae inuentorum chemicorum notiones nouis quoque verbis inſigniantur, quamuis propter egeſtatem linguae profundumque antiquitatis de iſtis ſilentium omnes latini graecique ſermonis elegantiae exuere videantur; iamdudum venia illa nomina fingendi aliis in diſciplinis ſedulos rerum nouarum inventores vſos eſſe; in phyſicis e. g. voces electricitatis, magnetiſmi, calcinationis, centumque alias vſum toleraſſe; in chemicis horridiora nomina ſalium nemini nauſeam mouiſſe; ſuo igitur iure recentiſſimae nomenclaturae chemicae auctores magni BERGMANNI veſtigia prementes non modo rebus chemicis clarion

earum-

earumque ſyntheſi magis accommodata nomina impoſuiſſe, ſed etiam diuerſas principiorum conſtituentium proportiones leuibus vltimae ſyllabae diſcriminibus expreſſiſſe.

Libri huius, qui legatur, digniſſimi nuper prodiit verſio germanica *) ab HERMBSTAEDTII diſcipulo elaborata notisque et additamentis aucta, in quibus auctoris dicta nunc confirmantur, nunc illuſtrantur.

XVII.

IOHN HOWARD'S, *Wundarztes zu London, praktiſche Bemerkungen über die Luſtſeuche. Aus dem Engliſchen überſezt von Dr.* CHRISTIAN FRIEDRICH MICHAELIS, *Arzt des Iohannishoſpitals zu Leipzig. Erſter Theil. Mit Kupfern. Leipzig, bey Iohann Friedrich Iunius,* 1790. 8. *mai. pagg.* 216. *praef. traductoris pagg.* 2. *praefatio auctoris et index capitum pagg.* XVI. *tabb. aeneae* 2. *Zweyter Theil,* 1789. *pagg.* 216. *index capitum pagg.* VIII.

i. e.

IOHANNIS HOWARD chirurg. Lond. obſeruationes practicae ſuper lue venerea, ex anglico vertit CHRIST. FRID. MICHAELIS. Tomi duo cum tabulis aeneis **).

Quam

*) FRIEDRICH LUDWIG SCHURERS *Abhandlung vom Säureſtoff und (von) ſeiner Verbindung mit andern Körpern. Aus dem Lateiniſchen überſetzt und mit einigen Anmerkungen und Zuſätzen. Berlin, bey Petit und Schöne.* 1790. 8. *pagg.* XXXVI *et* 208.

**) Practical obſervations on the Natural Hiſtory and Cure of the Venereal Diſeaſe, by IOHN HOWARD. London 1787.

P. I. praefat. Quam 1782 ſcripſerat Cl. Auctor de viribus mercurii commentationem *), iam recenſam auctamque et in duas partes, primam pathologicam, practicam alteram, diuiſam nunc exhibet. Scriptores ab ALOYSIO LVISINO coniunctim editos exactiſſimam imaginem morbi venerei ſiſtere, recentiumque temporum auctores antiquo ſyſtemati non adeo aliquid addidiſſe aut nouum condidiſſe, quam potius illud exornaſſe.

P. I. Obſeruationes praeliminares de origine luis venereae; de diuerſis periodis, in quibus vlcera venerea et gonorrhoea orta dicuntur, et de diuerſis vtriusque horum ſymptomatum ſequelis. Quae ex hiſtoria hic traduntur, nobis iam opera Cll. HENSLERI **) et GIRTANNERI ***) nota ſunt. Probabiliter mercurii vſum decurſum morbi venerei mutaſſe, indeque gummata, vti nunc obſeruantur, originem traxiſſe, licet veroſimillimum ſit, affectiones oſſium iam antea exitiſſe; item bubones apud veteres rarius memoratos ****). Difficultates conſcribendae hiſtoriae luis venereae, ad quam non tantum ordo, quem natura in progignendis ſymptomatibus eius ſeruat, ſed etiam aberrationes ab eodem per medendi rationes inductae exponi debent, in nullo forte alio morbo manifeſtiores. Cl. Auctor non abſolutiſſimam pollicetur tractationem, ſed fidam tantum narrationem eorum, quae ſibi ipſi obuenerint. Gonorrhoeam virulentam a lue ipſa ſeparat, quia origo illius venerea plane euinci nequit, morbus ipſe genium ſingularem ſeruat, neque contagium vniuerſale aut eosdem, quos vlcera venerea, effectus producit. Reliqua igitur ſymptomata in

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XXXII. p. 59.
**) Eorumd. Vol. XXVI. p. 149.
***) Eorumd. Vol. XXXII. p. 152.
****) Vid. HENSLER l. c. p. 156.

in tres claſſes diuidit: 1. primaria, quae ſecundum ordinem cito erumpunt, non multum mutata a medicamentis; 2. ſecundaria, vbi mercurius decurſum naturalem morbi retardauit; 3. anomala, reliquiae vnius aut plurium infectionum, magis quam praecedentia per mercurium mutata, ſed non eliminata, huius effectibus noxiis haud raro cum fomite occulto luis commixtis.

Sect I. Symptomata primaria luis venereae. Origo et decurſus vlceris (*chancre*) ſicci, parum irritabilis, aphthoſi. Puſtularum venerearum cum variolis comparatio. Raro vlcera venerea medentibus ſub primo exortu obueniunt, antequam inflammari et ſuppurare incipiant, quod interdum ſatis tarde euenit; poſt ſex hebdomadas a contagio nullam adhuc inflammationem Cl. Auctor conſpexit. In genere hanc tardius accedere, quam in variolis: veroſimile eſſe, a praeſente ſimul gonorrhoea progreſſum vlceris venerei retardari. Tranſitus puſtulae ad inflammationem et ſuppurationem ſiue ſpontaneus ex ipſa morbi natura pendens, ſiue ab irritatione locali aut a mercurio inducta. Diſpoſitio ad phimoſin (*phymoſin* perperam ſcribi videmus), hancque praecedens leuior penis incuruatio, plerumque gonorrhoeae tantum ceu ſymptoma adſcripta. Phimoſis generatio: aut vlceribus ſe expandentibus et irritabilioribus redditis, aut irritatione hac ad ſuperficiem glandis et internam praeputii continuata, aut exitu puris praecluſo. Interdum, licet rarius, proſtata ſimul in conſenſum trahitur, nulla gonorrhoea praeſente; mercurii vſu liberanda. Bubo: vniuerſali et nonniſi ſucceſſiua applicatione mercurii effluxum ex vlceribus moderando bubones optime praeuerti, intempeſtiua autem nimisque aucta reſorptionem miaſmatis effici, ſine eo vt morbus leuetur. Suppuratione ſubſtantiam glandulae affici, nondum confectum, niſi methodus me- p. 17.

dendi peruerſa acceſſerit. Vlcera quaecumque vel ad ſuperius deſcripta, vel ad liuida, humida, ſumma irritabilia referri poſſe. Aphthoſorum vlterior decurſus, exitus in effloreſcentias cutaneas, diſpoſitionem ad exulcerationem faucium, ad gummata e. g. Diuerſum tempus eruptionis harum effloreſcentiarum: vires ſpecificae mercurii eas retardare et ſubita curatio vlcerum per ſedantia eas accelerare viſae ſunt Cl. Auctori. Earum praecurſores: eodem tempore, quo effloreſcentiae in cute ſurgunt, nonnunquam etiam vlcuſcula in tonſillis oriuntur, forte etiam in profundioribus oris partibus et membrana pituitaria, ipſaque vis neruea morboſe afficitur. Effloreſcentiae cutaneae licet abigantur, tamen non prorſus ſublato morbi fomite facile alias ſedes petunt: hinc prima gummatum origo. Criticae dicendae non ſunt. Color cupreus, dolores praegreſſi, et ſuperſtes cruſta fauo ſimilis eas ab aliis eruptionibus cutaneis generatim diſtinguunt: copioſae autem diuerſitates earum inter ſe optime experientia ediſcuntur. Excoriationes vlceroſae. Eas ex vtroque vlcerum genere orti. Non improbabile videri, ſubſtantiam ſpongioſam glandis absque dilaceratione cuticulae partem contagii in glandulas ſebaceas reſorbere ibique retineri poſſe, ex qua excoriatio oriri queat: tentandum, an mucus inde exſudans inoculatione vlcera venerea produceret; idem tentandum cum materia gonorrhoica ad euincendum diſcrimen gonorrhoeae et luis venereae vel identitatem vtriusque. Differentia excoriationum iſtarum ab aliis, v. c. a ſola frictione, immunditie, vitio ſcorbutico et ſcrophuloſo, eroſione a gonorrhoea; in vltimo caſu diſpoſitio ad metaſtaſin abeſt. Bubo vt ſymptoma primarium: neceſſitas eum ab aliis tumoribus glandularum diſtinguendi. Vbi cauſſa non pateat, tutius ſuppurationem eius exſpectare

ſtare vel adiuuare, quam mercurio vel repellentibus vti.

Sect. II. Symptomata ſecundaria. Vlcerum et bubonum neglectorum per curationem mercurialem alterațiuam ſequelae. Verrucae venereae, quorſum etiam excreſcentiae fungoſae humidae referuntur. Differentia earum, quae poſt curationem mercurialem remanent, cauſticis tollendae, et quae a miaſmate ipſo generantur, morbique ſymptoma vel ſolum, vel cum aliis coniunctum, conſtituunt. Hiſtoria eiuſmodi fungi ad fraenulum praeputii cum vlcere ad anum, quod priore deſtructo ſponte ſanabatur: largus autem mercurii vſus ſanationem praeceſſerat. Vlcera venerea tonſillarum. Ab angina maligna per abſentiam ſymptomatum febrilium facile, aegrius ab acrimonia ſcrophuloſa illuc delata diſtinguuntur; ab effectibus refrigerii durante ſaliuatione admiſſi per foetorem halitus et glandularum ſaliualium tumorem in hac animaduertendum. Vlcera cutis et linguae venerea. Poſteriora ſaepe difficulter a gangraenoſis dignoſcuntur: cauſſae antecedentes et mutatio in meliorem ſtatum a mercurialibus maximam in re dubia lucem affundunt. Ophthalmia venerea: a ſcrophuloſa differt, quod glandulae Meibomianae inflammatae non ſint. Sarcocele venerea: ab hernia humorali differt inſenſibilitate, defectu inflammationis et abſentia ſymptomatum gonorrhoeae; a ſcirrho difficillime, nec niſi curatione per mercurium non obtinenda, diſtinguitur. Rhagades venereae. Eruptiones cutaneae et gummata tophique. Horum origo interdum integris annis poſt ſuſceptum contagium. In crure a quocumque alio tumore certiſſime diſtinguuntur chorda dura interdum a margine externo cruris verſus muſculum tibieum anticum excurrente, et ſublato quidem morbo ſemper euaneſcente. Exempla quaedam eorum poſt longum P. 53.

demum tempus erumpentium. Cariei origo probabilis ab incluſis ſub perioſteo humoribus in glutaeo agentibus. Effectus quidam in articulationibus. Ozaena venerea. Febris lenta venerea. Forte morbum venereum in climatibus calidioribus diſpoſitum ad morbos bilioſos eorumque euolutioni fauere; inde mercurialium in illis vſum.

p. 96. Sect. III. Symptomatum anomalorum curatus indagandorum ſumma neceſſitas et maxima in hoc negotio ſaepe accedens difficultas. Exempla trium ſequelarum morbi venerei imperfectaeque medelae eidem adhibitae, ex quibus modo adduxiſſe liceat feminam, poſt curationem ſymptomatum localium per ſalivationem, qua perfecte conualuiſſe ſibi viſa fuerat, ſubito mortuam, proceſſu odontoideo carie abrupto medullaque ſpinali inde compreſſa. Triplex ſymptomatum anomalorum genus: a ſuppreſſis remotisque effectibus mercurii inepte adhibiti; a morbo ipſo; et ab huius ſequelis poſt curationem mercurialem, nullo miaſmate relicto. Rurſus exemplum medici, incongruo remediorum vſu morbum multiformem in ſe ipſo per plures annos trahentis. Enumeratio multorum ex iſtis ſymptomatibus. Cautio, ne gonorrhoeae recenti, ſymptomata venerea a fomite diu iam in corpore latitante excitanti, haec ipſa tamquam eius effectus adſcribamus. Memorabilis hiſtoria chirurgi, qui cadauer viri excoriationibus venereis glandis affecti ſecans fragmento oſſis digitum vulnerauerat, indeque variis ſymptomatibus pro rheumatismo aut ſcrophuloſis habitis correptus fuerat, donec tandem quinto morbi anno gumma cum puſtulis venereis veneream eius indolem declararet, quo facto curatio radicalis per mercurium illum breui ſanabat. Difficultas detegendi vlcera in ſexu ſequiori. Explicatio tabularum aenearum, ex CHESELDENI (non SCHELDEN) oſteographia deſumtarum, cariei in cranio

cranio, femore, brachio, crurisque ossibus exempla sistentium.

Sect. IV. Obseruationes generales de historia, conditione et curatione gonorrhoeae. Veram eius indolem vlteriori per experimenta exploratione indigere: quae enim Ill. HVNTER adduxerit*), nondum sufficere (Cl. SCHWEDIAVER librum illo priorem **) Auctori nostro incognitum manere potuisse miramur). Consuetus gonorrhoeae decursus; eius metastases, in sano de reliquo corpore nonnisi ad reliquas partes genitales. Inflammationes harum partium non adeo humori huc delato, quam locali mobilitati vel irritabilitati neruorum adscribi debere, quae vero num venereae sit indolis nec ne, difficile determinatu. Inflammatio testiculorum vel sic dicta hernia humoralis. Prostatae collique vesicae inflammatio. Vrethrae strictura. Abscessus et fistulae in perinaeo. Exitus gonorrhoeae, nullis eidem impedimentis oppositis. p. 139.

De complicatione morborum quorumdam cum lue venerea et gonorrhoea. Rursus de antiquitatibus morbi venerei: verò simile videri, Iudaeos ex Hispania in Africam fugatos lepram huc transtulisse, commercioque cum feminis indigenis et climate calidiore eiusdem propagationem mutationemque in malam deterius, addito forte morbo endemio, v. c. *yaws*, miro modo adiutam fuisse; luem veneream, lepram Arabum et Graecorum, *yaws*, et forte quoque scrophulas, ad vnum genus pertinere (si pelagra Cl. Auctori nota fuisset, illam sine dubio etiam huc reducturus fuisset). De cognatione leprae cum vitio scrophuloso exempla quaedam. Analogia inter lepram et speciem quamdam cancri, indeque explicanda p. 189.

*) Vid. Comm. nostr. Vol. XXXII. p. 269.

**) Eorumd. Vol. XXVI. p. 518.

canda propenſio aegrorum venereorum ad tumores ſcirrhoſos, praeſertim teſticulorum. Anomaliae ſymptomatum venereorum in diſpoſitione eryſipelatoſa, arthritica, calculoſa e. ſ. p. Geneſis ſcirrhi teſticulorum, proſtatae ac mammarum inter ſe comparata, habita potiſſimum prouectioris aetatis in vtroque ratione; aliae cauſſae concurrentes; diſpoſitio hereditaria.

P. II. Iam in parte practica primo quaedam de hiſtoria mercurii tamquam remedii aduerſus luem veneream. Varii eumdem exhibendi modi: per frictionem conuenientiſſimus, ſimpliciſſimus et tutiſſimus; vapor cinnabaris ore exceptus quibusdam corporibus aeque appoſitus; in mercurialibus interne adhibitis vis ſalivam ciendi praepollet, licet etiam maiori minorique ſtimulo in primas vias agant. Mercurius calcinatus purior reliquis praeparationibus: hoc debiliusculomelas. Mercurius alkaliſatus et balſamo ſulphuris extinctus primas vias minus afficiunt, ſed facile ſalivationem mouent, poſteriorque interdum auxilium praeſtitit, vbi alia remedia nihil effecerant. Sublimati ſolutio doſibus minoribus et vſu diutius protracta ſalutaris; in ſubiectis mercurio iam aſſuetis alia ſimul eius praeparata in vſum ducenda; infuſum glycyrrhizae optimum ſaporis metallici corrigens. Cruſtas albas WARDII ſolutioni mercurii corroſiui ob maiorem copiam partium ſalinarum mercurio iunctarum nonnumquam praeferri debere. PLVMMERI pilulae aethiope efficaciores, ſed debiliores mercurio balſamo ſulphuris extincto. Selectus praeparatorum mercurialium pro diuerſitate morborum neceſſarius. Duplex curationis genus: alterum, vbi aegrum in cubiculi contineri aëremque externum vitare oportet, ſiue ſaliuatio excitetur ſiue non; alterum alterationum, vbi vſus liberioris aëris conceditur. Omne momentum curationis in vi mercurii os afficiendi ponendum,

pro

pro varietate corporum varia, quae immerito a viribus eius antiſyphiliticis ſeparetur; nullam aliam excretionem ab eo excitatam fini propoſito adeo reſpondere. Cauſſam, cur mercurius vsque ad id momentum, vbi os afficit, adhibitus vires antiſyphiliticas exſerat, in reſolutione humorum et mutato inde miaſmate venereo iis inhaerente aut cum vi vitali (neruea) coniuncto ponendam eſſe. Reſolutionem hanc putridam eſſe ſui generis, nulli alii comparandam, tranſitoriam arcteque cum indole quadam viuificante coniunctam, quod ex ſubita conualeſcentia pateat, in qua etiam reſorptio vaſorum lymphaticorum maior quam ſub curatione ipſa videatur. Neceſſitas iterandi vſum mercurii durante eius actione in vias ſaliuales ſuſpenſum, quam primum ea remiſerit: non fidendum eſſe ceſſationi ſymptomatum. Quibus in caſibus purgantibus, balneis, aëre liberiore, vtendum ſit. Noxae ſaliuationis nimium protractae.

De curatione alteratiua: eam ſecurius adhibendam eſſe in morbis ad ſaliuationem procliuioribus; cautiones in ea obſeruandae. p. 67.

De quibusdam remediis topicis ad iuuandam curationem adhiberi ſolitis, in genere ſedantium nomine inſigniendis, cum adſtringentibus, tum mercurialibus et cathaereticis. Noxae ex adſtringentium in gonorrhoea abuſu magis inflammationi male curatae, aeque ac in morbis inflammatoriis pectoris, quam contagio ſuppreſſo adſcribi debere. Topicorum vſum tunc demum requiri, vbi vel vniuerſalis effectus mercurii ſuſtentandus ſtimulusque localis ſedandus eſt, vel ſtructura partis cuiusdam adeo corrupta, vt conſueta remedia ei non ſufficiant. p. 86.

Praemiſſis his generalioribus ad ſpecialiores curationes diuerſarum luis venereae modificationum ſymptomatumque progreditur Cl. Auctor. Nos, qui doctrinam eius ample ſatis propoſitam neque in ante- p. 107.

cedentibus ob praefixam nobis breuitatem amplius perſequi potuimus, in his etiam breuiores eſſe cogimur. Mercurium balſamo ſulphuris extinctum ſublimationibus, interno vſu mercurium calcinatum reliquis praeferendum eſſe, diutiusque doſi maiore ad duo vsque mane et veſperi grana exhiberi poſſe. Diarrhoea a mercurio concitata plerumque granis viginti philonii Romani cedit, quod ſi non euenit, haec doſis octaua quaque hora vel mane et veſperi repetenda, lectique calore iuuanda. Bubo ſuppuratus vel punctura lanceolae vel lapide infernali ei affricando, donec exigua eſchara formata fuerit, aperiendus; qua methodo cauſtico vtendi chirurgus SPRAV olim ad abſceſſus, tumores ſaccatos et glandulas induratas vſus eſt. Eſcharam tam diu relictam, donec ſponte decidat, reſorptionem puris efficere poſſe. Aperto bubone omnis irritatio euitanda, ſolumque cataplaſma emolliens adhibendum. Vim opii in vlcere phagedaenico poſt bubonem relictum aeque ſalubris ac in gangraena pedum: monendum autem, minores tantum eiusdem doſes porrigendas eſſe. Radices dauci non coctas vt cataplaſma impoſitas nonnihil irritare, coctas nullo modo. Exſirpatio bubonis per cauſtica cultro et ligaturae praeferenda: ad illam cataplaſma ex mica panis et ſolutione ſaturata ſacchari ſaturni, vel puluis ſabinae, vel vitriolum caeruleum, tentanda ſuadentur. Sarſaparillae vires aduerſus morbos oſſium venereos vlteriori examine indigere, quum fere numquam ſola adhibeatur. Ad rheumatiſmum chronicum, ex incuria durante curatione alteratiua vel poſt ſaliuationem ortum, guaiaci ſummum vſum perſpexit Cl. Auctor. De reliquiis miaſmatis venerei in corpore, ſymptomatibus omnibus ſublatis: quaeſtio, num in eo ſtatu morbus interdum in lepram rurſus tranſire poſſit, vnde olim ortum duxerit, et num inde aethiopis antimonialis,

nialis, pilularum PLVMMERI, ptiſanae Vlyſſiponenſis et minimarum doſium praeparatorum mercurioſarum effectus declarari poſſint.

XVIII.

Magazin für die Naturkunde Helvetiens. Herausgegeben von D. ALBRECHT HÖPFNER, *Stadtapotheker in Biel, der Churfürſtl. Mainziſchen Akademie der Wiſſenſchaften; der naturforſchenden Geſellſchaft in Zürich; der phyſikaliſch-ökonomiſchen in Bern; der mediziniſchen, phyſikaliſch-botaniſchen in Baſel; der naturforſchenden in Halle; und der Geſellſchaft der Bergbaukunde Mitglied; der königlichen Geſellſchaft der Wiſſenſchaften in Göttingen Korreſpondenten. Erſter Band. Mit Tabellen und Kupfern. Zürich, bey Orell, Geßner, Füßli und Comp.* 1787. 8. *pagg.* 356. *Zweyter Band. Mit Kupfern.* 1788. *pagg.* 390. *Dritter Band.* 1788. *pagg.* 440.

i. e.

Promtuarium rerum phyſicarum Heluetiae. Editum cura ALBERTI HÖPFNERI, M. D. variarumque academiarum et ſocietatum ſocii ac correſpondentis. Volumina tria, cum tabb. aenn.

Etſi Heluetia rerum naturalium vtiliſſimarum phyſicorumque ſtudiis digniſſimarum theſauris vere abundat, eius tamen hiſtoria naturalis, ſi ab HALLERI, FÜSSLINI atque WYTENBACHII laboribus diſceſſeris, perparum hucusque exculta fuit. Mouit haec res ante aliquot annos viros doctos, Heluetiae ciues, vt ſociatis viribus patriae ſuae cognitionem phyſicam promouere inſtituerent. Princeps inſtituti

auctor ſuaſorque clariſſimus HÖPFNERVS fuit, qui etiam huius promtuarii, in quo illorum laborum fructus deinceps euulgabuntur, edendi curam ſuſcepit. Ratio autem inſtituti haec eſt. Diligenter conſiderantur 1) indoles phyſica ac natura Heluetiae eiusque productorum, 2) modi viaeque producta Heluetiae maximo cum fructu parandi et elaborandi, 3) productorum elaboratorum venditio, adeoque totius mercaturae Helueticae ratio, 4) cauſae, cur harum rerum cognitio in Heluetia adhuc perquam imperfecta ſit, 5) remedia huius defectus, 6) vtilitas denique in Heluetiam redundatura, ſi haec remedia impigre ſinnueque admoueantur.

Volumine primo ſequentes continentur diſſertationes.

Vol. I. p. 1-28. I. *Tentamen deſcriptionis vallis Grindelwaldensis.* Vallis Grindelwaldenſis ad radicem borealem alpium Bernenſium ſita eſt. Tractus eſt admodum fertilis, cum climate ſatis miti gaudeat. Magis tamen paſtura, quam agricultura, floret. — E fructibus pinus cembrae lac elicitur, quod pro remedio balſamico morborum hecticorum incolae venditant. — Rupicaprae, quarum magnus olim numerus vigebat, fuit, nunc ob venatorum inſidias raro apparet. Etiam marmotae, quarum carne Grindelwaldenſes multum delectantur, hic illic prorſus deletae ſunt. In inferioribus vallis partibus hic illic lepus ruber occurrit, albus altiores montium regiones habitat. Albi duae ſunt varietates. Altera in ſyluis latet, eiusque pili aeſtate obſcure griſei fiunt. Alterius ſummos montium apices incolentis inque cauernis degentis tinctus aeſtiuus eſt dilute griſeus, ac ſtatura minor et macilenta. — De montibus eorumque maſſis accurate agitur inque poſterum agetur, nam huius tentaminis modo pars prior in hoc volumine ineſt. —

Addit

Addita eſt charta topographica vallem Grindelwal-
denſem ſiſtens.

II. *Fragmenta manuſcriptorum beati* FRANCISCI p. 29-
XAVERII SCHNYDER, *Wartenſeeënſis, paſtoris olim* 92.
eccleſiae Schüpfheimenſis. Natus eſt auctor anno 1750,
mortuusque die 8. Iul. 1784. Summa flagrauit re-
rum naturalium et oeconomicarum ſcrutandarum cu-
piditate, adeoque in naturali hiſtoria non exiguos au-
todidactus progreſſus fecit. Varia ſcripſit ediditque
Heluetiae hiſtoriam, geographiam, phyſicam, oeco-
nomiam ſpectantia, quorum catalogus ab editore ad-
ditus eſt. — Euulgatur hoc loco primum manuſcri-
ptorum eius fragmentum de generibus, ſpeciebus ac
varietatibus frumenti, quae in pago Lucernenſi fere
ſeruntur. Obſeruationes, quae hoc fragmento con-
tinentur, argumenti ſunt tum botanici tum oecono-
mici. — Accedunt literae HOEFFLIGERI, paſtoris
eccleſiae Neudorfenſis, ad SCHNYDERVM, huius-
que ad eas annotationes. Continent obſeruationes
maxime oeconomicas.

III. *Obſeruationes ſuper analyſi chemica ſalis ſeda-* p. 93-
tiui atque praeparatione boracis, auctoribus EXSCHA- 116.
QVET *et* STRVVE. E ſuis tentaminibus analyticis
auctores colligunt, ſalem ſedatiuum ex acido phoſ-
phoreo, terra vitreſcibili ac materia ignis compoſi-
tum eſſe. Etiam experimentorum ſyntheticorum fide
rem ſibi videntur probaſſe: ſed multum a rigore hanc
demonſtrationem abeſſe, editor monuit. Quem bo-
racem confecerunt, non germanus eſt borax, artifici-
bus tamen eundem vſum praeſtare poſſe videtur. Ita-
que auctorum tentamina vtilitate non carebunt, ſi ſa-
lem iſtum boraci analogum magna copia impenſisque
exiguis parare didicerint, etiamſi eorum de ſalis ſe-
datiui principiis theoria omni fundamento careat.

IV. *Tentamen ſuper mechaniſmo montium glacia-* p. 117-
lium Heluetiae. Auctore BERNH. FRID. KVHN. 136.

Autopta

Autopta admiranda illa montium glacialium phæno-
mena accurate enarrat, atque eorum rationem
cauſas diligenter inquirit.

p. 137–152. V. *Obſeruationes ſuper analyſi minerarum ferri*
Auctore WIEGLEB. Effodiuntur in pago Bernen-
variae ferri minerae, quae vt in publicos vſus
vertantur, magiſtratus Bernenſis omnem operam
hibet. Harum nonnullas vt chemice exploraret,
clar. HOEPFNERO mandatum fuiſſet, ſpecimina
rum chemicis exteris clariſſimis transmiſit, vt
ea chemicae ſubiicerent. Hoc loco prodit Wie-
biana analyſis via humida inſtituta, variiſque
corollariis, quorum auctoritate minerarum illa-
excoquendarum ratio in pago Bernenſi vſitata
emendari queat.

p. 153–170. VI. *Epitome epiſtolae ill.* GERHARDI, *con-*
rerum metallicarum Berolinenſis, ad clariſſ. HÖPF-
NERVM. Agitur de iisdem ferri mineris, quas
HARDVS via ſicca examinauit (nam ab humida,
pote in talibus mineris fallente, prorſus abſtine-
cenſet), addunturque eiusdem obſeruationes ſup-
minerarum ferrearum excoctione vtiliter inſtitu-
quibus editor ſuas adiunxit animaduerſiones.

p. 171–178. VII. *De veſtigiis mutationum, quas Alpes Hel-*
tiae magna quadam naturae reuolutione perpeſſae
tur. Auctore STORR. Suſpicatur clariſſimus STOR-
RIVS, peritiſſimus rerum phyſicarum Helue-
quod eius itinerarium teſtatur, terrae olim mota
canorumque in apenninis ardentium vehementia
gentem aquae ruentis vim Alpes Helueticas ab
ſtrali earum parte ad radicem borealem verſus
rupiſſe, hincque faciem earum hodiernam rect
deriuari.

p. 179–190. VIII. *Analyſis chemica ſchoerli violacei.* Auct.
KLAPROTH. Schoerlus violaceus hoc nomine
cos abhinc annos coepit inſigniri. Reperitur in
phinata,

phinatu, pyrenaeis Gallicis, Saxonia (prope Thum, inc a WERNERO lapis thumenſis dicitur), Norue- ia. Figura eſt regulari, ſed varia, tinctuque nunc ubamethyſtino, nunc albide cinereo. Textura eſt oliata. Videtur nouam ſpeciem conſtituere, quae tiam WERNERI, peritiſſimi oryctognoſtae, ſenten- a eſt. Clar. KLAPROTH analyſi inſtituta in 157 gra- is reperit terrae ſiliceae 82¾ grana, terrae alumina- is 40½ grana, terrae calcareae 14¼ grana, terrae mar- alis magneti obedientis et magneſia nigra inquinatae 1⅝ grana.

IX. *Experimenta et obſeruationes ſuper praepara-* p. 191- *tione cinnabaris. Auctore* DOLLFVSS, *M. D.* Ten- 198. auit methodos a DOSSIE, FERBERO, STRVVIO, WENZELIO deſcriptas, quarum tamen nulla omni ex parte ei placuit. In cinnabari, qualis vulgo in tabernis proſtat, reperit hydrargyrum ad ſulphur eſſe = 13 : 2. Hanc rationem optimam omnium iudicat. Ad hydrargyrum cum ſulphure copulandum uſio efficacior quam tritura eſt. — Adduntur non- nullae adnotationes WIEGLEBII.

X. *Epiſtolae ad editorem.* Agitur de montibus p. 199- Heluetiae glacialibus copioſe, obiter de altitudine al- 244. pium Helueticarum altiſſimarum, de variis foſſilibus in alpibus Helueticis repertis, de vulture aureo ſ. barbato BRISSONI, de ſatyrio nigro LINNAEI, de daphne mezereo LINNAEI; de itineribus per Alpes Heluetiae, de variis plantis alpinis; de ſtudii medici, phyſici et hiſtoriae naturalis Lutetiae Pariſiorum con- ditione.

XI. *Analyſis chemica aquae medicatae Leenſingen-* p. 245- *ſis prope lacum Thunenſem. Auctore* C. FRIED. MO- 256. RELL., *pharmacopoeo Bernenſi.* Haec aqua tribus e fontibus ſcaturit. Primus balneis inſeruit; alter aqua ſulphurea dicitur; tertius in nullum adhuc vſum conuerſus eſt. Fontis balneatorii menſura vna tenet

aëris

aëris atmoſphaerici pollices cubicos $3\frac{1}{2}$, acidi aë… pollices cubicos $2\frac{1}{2}$, aëris phlogiſtici pollices cubi… 3, magneſiae vitriolatae grana $3\frac{1}{3}$, ſelenitae gr… $21\frac{2}{3}$, magneſiae aëratae gran. $1\frac{4}{5}$, calcis aëratae … $1\frac{8}{13}$. Aquae ſulphureae vna menſura tenet aëris at… ſphaerici pollices cubicos 2, aëris hepatici pollices … bicos $9\frac{1}{5}$, ſalis amari grana $3\frac{1}{4}$, calcis aëratae gr… $8\frac{1}{2}$, terrae martialis gran. $\frac{1}{3}$. Tertii denique fo… menſura vna continet aëris atmoſphaerici nonni… phlogiſtici pollicem cubicum vnum, acidi aërei po… ces cub. $2\frac{1}{2}$, ſalis amari grana $6\frac{2}{3}$, calcis aëratae gr… $1\frac{11}{25}$, magneſiae aëratae gran. $3\frac{19}{150}$, ſelenitae gr… $26\frac{5}{38}$.

p. 257. – 270. XII. *Deſcriptio characteriſtica et analyſis chem… lapidis muriatici.* *Auctore* HOEPFNERO. Lapidem m… riaticum, cuius hoc loco clariſſ. editor deſcriptione… et analyſin ſiſtit, primus SAVSSVRIVS in ſuo itin… rario Heluetico commemorauit ac *Iade* vocauit. Fr… quens eſt in maſſis montium Heluetiae primitiv… rum. Colore plerumque eſt viridi, duriſſimus, fri… diſſimus, ponderoſiſſimus. Noſter ex vna vncia e… cuit terrae ſiliceae 3 drachm. 46 gr., magneſiae … drachm. 4 gr., terrae aluminaris 18 gr., terrae calc… reae 7 gr., ferri 48 gr. In eius ſuperficie ſal am… rus haud raro efflorescit.

p. 271. – 298. XIII. *Tentamen diuiſionis ſyſtematicae maſſar… montium Helueticorum, vna cum meditationibus ſup… earum origine.* *Auctore* HOEPFNERO. Ditiſſima e… Heluetia talium maſſarum, earumque varietatibus m… re abundat. Noſter iam aliquot per annos magnam … ſibi earum collectionem parauit, vt characteres e… diſtinguentes penitius diſceret; cuius laboris iam pr… mos hic fructus offert, totum argumentum in libr… peculiari fuſius diligentiusque tractaturus. Maſſa… montium diſtribuit tres in claſſes: prima continentu… ſaxa (maſſae montium compoſitae), altera petrae (ſim… plices),

lices), tertia recompoſita (quae recentiori aetate ex riöribus maſſis deſtructis coaluerunt). Hoc loco de rima tantum claſſe agit. Duos autem ſaxorum or- ines conſtituit; altero ſaxa cryſtallina, altero amor- ha complectitur. Priori ordini adnumerat ea ſaxa, uorum principia heterogenea natura ſecundum le- es attractionum modo quodam cryſtalliſationis no- is incognito copulauit; qualia ſunt granites et gnei- um. Poſteriori accenſet ſaxa, quae e prioris ordinis xis decompoſitionem imperfectam paſſis orta ſunt; ic ſe porphyrius habet.

Saxorum cryſtallinorum duo ſunt genera. Alte- o continentur ſaxa cryſtallina textura et fractura anulata, confuſa (granites). Altero ſaxa cryſtallina xtura et fractura ſchiſtoſa (gneiſum). — Amorpho- um (i. e. porphyrii) tria ſunt genera. In primo nu- erantur ſaxa amorpha baſi quarzoſa impura (cor- es). In altero ſaxa amorpha baſi argillacea impura ialpidea). In tertio ſaxa amorpha baſi muriatica mpura (ophites).

Iam legitur ampliſſimus ſpecierum ac varietatum atalogus, quem noſtrae recenſionis anguſtiae non apiunt.

Arbitratur auctor, graniten omnium maſſarum etuſtiſſimam eſſe, ipſumque adeo telluris nucleum onſtituere. Iam ex granite reliquae montium maſ- ae temporis ſucceſſu aquae, aëris ignisque viribus ge- eratae ei videntur.

XIV. *Animaduerſiones in itineraria Heluetica. Au-* p. 299.
ore HOEPFNERO. Acriter, ſed iure, increpantur, – 330.
qui, Heluetia obiter viſa, praeiudiciis ſaepe occupati manibus illotis itineraria ſua protrudunt. Bene mo- netur, quo modo quibusque conditionibus itinera per Heluetiam cum fructu inſtitui poſſint.

XV. *Recenſio itinerum* PHILIPPI GVILIELMI p. 331.
GERKEN *per Sueuiam, Bauariam, Heluetiae partem* – 346.
confi-

confinem, Franconiam, prouincias Rheno adiacentes annis 1779 – 1783 *factorum* (*Stendal.* 1784.) Q auctor de Heluetia ſcripſit, nullius ſunt momenti fere falſiſſima.

p. 347 – 356. XVI. *Relatio de Monte Albo* (*Mont-Blanc*) *a B mato et Pacardo conſcenſo.*

Volumen alterum ſequentia complectitur.

Vol. II. p. 1-22. I. *Nonnullae meditationes ſuper conditione hiſtor naturalis Heluetiae inprimisque pagi Bernenſis, q noſtra eſt aetate. Praelectae in ſocietate oeconomica B nenſi menſe Martio* 1787. *Auctore* I. S. WYTTENBAC Perquam adhuc in Heluetia hiſtoriae naturalis dium, quippe vulgo ſterile habitum, friget. Oſten clariſſimus auctor eius praeſtantiam atque neceſſ tem, ſimulque, quos theſauros rerum naturalium H vetia poſſideat, edocet. Enumerantur merita Helv t orum ſocietatumque Helueticarum de hiſtoria H vetiae naturali.

p. 23 – 34. II. *Obſeruationes de origine agreſti caprae do ſticae. Auctore* I. P. BERTHOUT DE BERCHEM. D verſas virorum doctorum ſuper hac re ſententias ctor examinat, originemque caprae domeſticae c pra ibice cum BVFFONO repetit.

p. 35 – 76. III. *Continuatio fragmentorum manuſcriptorum paſtoris olim eccleſiae Schüpfheimenſis.* In fragme ſecundo zea mays LINN., panicum miliaceum L., p nicum; in tertio vicia faba L., cicer arietinum L in quarto variae plantae beſtiis paſcendis aptae, t folium pratenſe L., medicago ſatiua L., hedyſar onobrychis L., piſum, lolium perenne L., auena e tior L. phyſice et oeconomice pertractantur. Fra mentum quintum et ſextum ſolius ſunt argume oeconomici.

p. 77 – 82. IV. *Deſcriptio duarum ſpecierum trifolii. Auctore* REYNIER, *ſocietatis phyſicae Lauſonenſis ſocio.* Trifo

lii ſpecies a REYNIERO hic deſcriptae nouae ipſi videntur. Alteram vocat *le treſle gaſonant*, alteram *le treſle des glaciers*. Priorem tabula aenea ſiſtit. — Clariſſimus auctor hiſtoriam plantarum Helueticarum molitur.

V. *Analyſis chemica adulariae ſ. feldſpati pelluci-* p. 83 -
di. Auctore BERNHARDO FRIDERICO MORELL, *phar-* 96.
macopoeo Bernenſi et ſocietatis phyſico - oeconomicae ſocio. Centum adulariae grana continent aquae gran. $1\frac{1}{2}$, terrae ſiliceae gran. $62\frac{78}{181}$, argillae gran. $19\frac{61}{181}$, magneſiae gran. $5\frac{1}{2}$, ſelenitae gran. $10\frac{178}{181}$. Vnde conficitur, adulariam non eſſe niſi feldſpati varietatem; id quod iam e characteribus huius lapidis externis concludas.

VI. *Hiſtoria fodinarum ferri Mühlethalenſium in* p. 97 -
regione Haslenſi pagi Bernenſis. Auctore HOPFNERO. 110.

VII. *Adnotationes ſuper hiſtoria naturali caprae* p. 111 -
rupicaprae in Bündten et Veltlin habitantis. Auctore 132.
CAR. VLYSSE DE SALIS-MARSCHLINS. Si variam ſaturam tinctumque diuerſum excipias, nullae ſunt caprae rupicaprae varietates. Niue ac glacie multum delectantur. Aquae perparum bibunt. Aeſtate montium apices incolunt; hiemem in ſyluis tranſigunt. Raro vitam agunt ſolitariam. Salis ſunt auidiſſimae. Magna iis cum capris domeſticis intercedit affinitas, vt cum illis vnam eandemque ſpeciem efficere videantur. Ad triginta annos viuunt. Sexus differentia etiam a peritiſſimis venatoribus non ſine difficultate agnoſcitur. Autumno coëunt. Poſt hebdomades 20 aut 22 pariunt. Num poſſint cicurari, dubium auctori videtur. Scabie vexantur, quem morbum noſter a ſalis abuſu repetit. Hoſtes habent inſecta, vrſum, lupum, lyncem, vulturem barbatum. Omnium maxime ſunt iis metuendi venatores, quos tamen mira ſagacitate haud raro eludunt. — Venatio horum animalium accurate traditur, periculaque cum ea coniuncta enumerantur.

p. 133. VIII. *Adnotationes ſuper hiſtoria naturali vrſor*
-- 144. *Bündten et Veltlin incolentium. Auctore* CAROL
VLYSSE DE SALIS-MARSCHLINS. Haec fer
pium incolas vehementer vexat, eorumque quie
admodum perturbat. Duae eius ſunt varietates;
tera maior, magis manſueta, colore eſt nigro, alte
minor ac longe crudelior tinctum rubrum habet. P
ſterior mellis eſt auidiſſima. Dies in ſyluis denſiſſim
tranſigunt, noctu praedatum egrediuntur. — M
caput dorſumque latius eſt, femina in capite ac ſ
dorſi pilos albide cinereos habet. Menſe Oct
coëunt. In coitu femina ſupina iacet. Menſibus Apr
li Maioque pullos parit. Ante pugnam pullos adſc
dere arbores cogit, vt vere LINNAEVS monuit.
Oſtenditur, quibus artificiis incolae vrſos vel abig
vel capiant.

p. 145. IX. *Methodus fila ex vrticis parandi. Deſcripta*
-- 152. *vxore* SCHMIDII, *paſtoris ad St. Stephani in*
Simmenſi.

p. 153. X. *Quid rerum chemicarum ſcientia ad ſalutem*
-- 176. *tatum promouendam conducat, ratione maxime He*
tiae habita. Auctore I. FR. GMELIN, *profeſſore*
miae Gottingenſis. Editor notas et additamenta
iunxit.

p. 177. XI. *Fragmenta adhortationem magiſtratuum He*
-- 200. *veticorum continentia. Pars I. Auctore* HOEPFNER.
Docetur, quibus modis Heluetiae ſalus publica ma
me diſciplinarum phyſicarum beneficio promouer
augerique poſſit.

p. 201. XII. *Epiſtolae ad amicum in Heluetia degentem, qu*
-- 222. *bus oſtenditur, qua quis ratione chemiam doctore deſti*
tus addiſcere poſſit. Auctore WIEGLEB, *Longoſaliſſen*

p. 223. XIII. *Methodus turres altas a fulmine melius*
-- 230. *tiusque defendendi.* Tabula adiecta illuſtratur.

p. 231. XIV. *Biographia* IOANNIS GEORGII LOCHE
-- 242. *medicinae doctoris, Turicenſis, perſcripta ab* HIRZELIO
iuniori,

iniori, *Turicenſi*, *ad* HOEPFNERVM. Natus eſt anno 1739. Lugduni Batauorum medicinae operam nauauit. Negotiorum publicorum curae admotus patriae iae multum profuit. Botanices ſtudio plurimum acauit. Scripſit nonnulla botanici maxime argumenti. Obiit anno 1787.

XV. *Epiſtolae ad Hoepfnerum.* HIRZELIVS iu- p. 243.
ior, Turicenſis, de caeſpitis bituminoſi ſ. turfae in - 308.
ago Turicenſi conditione ac regeneratione diligenter refert. Reproductio turfae nondum videtur extra omnem dubitationis aleam poſita.

IO. REINH. FORSTER, profeſſor Hallenſis, varias e glacie obſeruationes cum HOEPFNERO communicat; quibus natura montium Heluetiae glacialium illuſtretur. Primum de glacie oceani auſtralis agit. Parum hinc aut nihil lucis credit montium illorum naturae adfundi. Plus ſperat ab obſeruationibus, quas in Europae regionibus borealibus, Boruſſia et Ruſſia, inſtituere ipſi contigit, iamque accurate recenſet.

WILD, fodinis Bexenſibus praefectus, de itinere mineralogico per alpium Helueticarum partem a ſe facto refert. Maxime notandum eſt, quodam loco WILDIVM granitem maſſae calcareae impoſitum reperiſſe; ſi modo recte vidit, quod HOEPFNERVS iure dubitat.

Sequuntur literae clariſſimi DE SAUSSURE ad HOEPFNERVM, quibus narrat, ſe cum pluribus itineris ſociis Montem Album (*Montblanc*) conſcendiſſe, variasque obſeruationes et experimenta illic facta enumerat. Quo magis vertici montis appropinquabant, eo frequentius ob aëris raritatem magis magisque creſcentem reſpirandum erat. Quatuor horas cum dimidia in ipſo vertice commorati ſunt. — Verticis facies non plana eſt, ſed aciem efficit fere horizontalem, ab ortu ad occaſum porrectam. Omnis

eſt niue contectus perquam ſolida. Ipſa montis ſa granitica eſt. Nulla hunc montem animalia in lunt: vertex praeter lichenes tuberculatos nihil pl tarum tenet — Barometri altitudo erat 16 polli et $\frac{144}{100}$ lin., cum Geneuae, vbi eodem tempore NEBIERIO obſeruaretur, 27 pollicum et $2\frac{1017}{1000}$ lin rum eſſet. Thermometrum in vmbra ad $2\frac{1}{10}$ gra infra punctum congelationis depreſſum, Gen 22, 6 gradus ſupra illud eleuatum erat. Itaque M Albus ſecundum formulam clariſſimi DE LUC 20 teſas, ſecundum TREMBLEII vero formulam 2 ſuper lacus Geneuenſis ſuperficie eminet. Hyg metrum atmoſphaerae ſiccitatem ſexies maior quam Geneuae, oſtendit. Electricitas poſitiua re riebatur, ſed parum fortis, cum electrometri glob examinaretur. Aqua iam feruebat, cum calor 68 $\frac{993}{1000}$ gradus thermometrum eueheret, in quo h drargyrum ad 80 vſque gradus eleuatur, ſi baro tri altitudo 27 pollicum eſt. Semihora demum e pſa ebullitio coepit; Geneuae ad id 15 aut 16 mi ta, adque litus maris 12 aut 13 ſufficiunt. Coeli c lor erat obſcuriſſime caeruleus. Ex aqua calcis c ſecedebat, ſed tardius, quam prope maris litus aſſolet. Alcali vegetabile cauſticum aëratum redo batur. Vt dubitari nequeat, etiam montium tam torum atmoſphaeram acidum aëreum continere. V brae omni carebant colore. Sapor odorque cibor ac vini integer erat. Sclopeti minoris explo pitum edebat admodum debilem. Pulſus celeri multum creuerat. — Plura clariſſ. DE SAUSSURE perimenta tam phyſica quam chemica capere cons tuerat, quae variis impedimentis oblatis in aliud tem pus differre coactus eſt. Speramus adeo, indefe huius ſolertiſſimique naturae ſcrutatoris labores re riis phyſices capitibus haud parum lucis allaturos eſ

p. 309. XVI. *Epiſtolae de aſphalto. Communicatae*
— 330. *editore ab* HIRZELIO *iuniore, Turicenſi.* Varias co tinent

inent obſeruationes cognitu dignas de aſphalti hi-
toria naturali, indole vſuque vario.

XVII. STORRII itinerarii alpini pars prior dili- p. 331.
enter recenſetur. Hic illic auctor lapſus eſt. Cete- -- 370.
um multum laudatur opus.

XVIII. *Relationes miſcellaneae.* Tabulae emortua- p. 371.
es nonnullorum Heluetiae oppidorum. De lithan- -- 390.
hracibus. De fluori minerali viridi. Catalogus plan-
arum Helueticarum ab HALLERO omiſſarum. De
ora Heluetica a MORELLO, pharmacopoeo Bernenſi,
lenda. De opere conchyliologico completo, quod
YDER, paſtor Bernenſis, molitur, quodque magnum
umerum conchyliorum Helueticorum adhuc inco-
nitorum deſcriptum iconibusque illuſtratum conti-
ebit. De zoologia Heluetica, quam DE BERCHEM
uſonenſis edet. — De variis rebus quaeſtiones pro-
onuntur.

Volumine tertio continentur haec.

I. *De perfectibilitate generis humani. Auctore* I. Vol. III.
TH, *profeſſore philoſophiae Bernenſi.* p. 1-52.

II. *Reſponſio ad quaeſtionem: num mercatura, qua-* p. 53 --
i eſt in Heluetia, agriculturae Helueticae incolarumque 156.
oribus profit, an obſit? Praelecta coram ſocietate na-
turae ſcrutatorum Turicenſi ab HIRZELIO, *M. D., ſe-*
catore et phyſico Turicenſi.

III. *Analyſis chemica lapidis ollaris Heluetici. Au-* p. 157.
tore WIEGLEBIO, *Longoſaliſſenſi.* Vncia huius lapi- -- 166.
is tenet:

terrae ſiliceae	—	3	drachmas.	4	grana.
ferri —	—	1	—	15	—
terrae aluminaris		-	—	32	—
terrae calcareae		-	—	2	—
acidi fluorati		-	—	2	—
magneſiae		3	—	5	—
		8	—	-	—

Vnde apparet, lapidem ollarem in ſyſtematibus ne-
neralogicis talcis iure adnumerari.

p. 167. IV. D L. GVSTAVI KARSTEN *diſſertatio de ſi-*
-- 236. *ſto argillaceo ſchiſto corneo, waccis etc. praemio ornata.*
Clariſſimus HOEPFNERVS praemium propoſuerat
illum conferendum, qui omnium illorum lapidum
quos vulgo ſchiſtos corneos, ſchiſtos argillaceos, wa-
cas etc. dicunt, certam claſſificationem ac deſcrip-
nem, nominibus locisque natalibus additis, exhibi-
rus eſſet. Laudabile ſane inſtitutum, ſiquidem ha-
rum maſſarum in noſtrorum mineralogorum libr
tanta eſt confuſio, vt magis creſcere non poſſe vide-
tur. Tulerunt praemium mineralogi peritiſſi-
KARSTENIVS (KARSTENII, clariſſimi in Germa-
geometrae, filius) et VOIGTIVS, ambo Germani, am-
bo e WERNERI Freibergenſis ſchola, bonorum mi-
neralogorum feraciſſima matre, profecti. Vtriusq;
diſſertationes in hoc promtuarii Heluetici volumi-
leguntur. — Primo loco KARSTENIVS de indole a-
naturali claſſificatione lapidum in vniuerſum diſpu-
Foſſilia ſunt aut ſimplicia, aut compoſita. Simplicia
principia ſola analyſi chemica poſſunt exhiberi: co-
poſitorum partes conſtitutiuae oculis vel nudis ve-
armatis patent. Terrarum lapidumque alii tantum
modo in montibus eorumque ſtratis ſparſi reperi-
tur: qui ſi ſimplices ſunt, ab oryctognoſta conſide-
rantur atque in ordinem rediguntur. Alii etiam ſtra-
ta montesque efficiunt: hi ſi ſunt ſimplices, tum a
oryctognoſta, tum a geognoſta, ſin compoſiti, a geo-
gnoſta conſiderantur. Oryctognoſta a ſolis princi-
piis chemicis diuiſionem foſſilium in claſſes, ordines
familias ac genera repetit: ſpecies vero et varietates
characteribus externis ſuperſtruit. Longe alia geo-
gnoſtae via eſt, vtpote cuius claſſificatio a ſolis parti-
bus conſtitutiuis lapidum compoſitorum pendeat. —
Iam auctor ipſum argumentum aggreditur. Primum
lapidis

apides perſequitur falſo his nominibus inſignitos. Tum horum foſſilium indolem oryctognoſtice, poſtremoque geognoſtice pertractat.

V. VOIGTII, *ſecretarii rei metallicae Weimarienſis* (*nunc conſiliarii rei metallicae Weimarienſis*) *diſſertatio de ſchiſto argillaceo, ſchiſto corneo, waccis etc. praemio ornata.* p. 237. -- 268.

VI. H. K. NÜSCHELER, *ſecretarii commiſſionis oeconomicae Turicenſis, reſponſio ad quaeſtionem a ſocietate oeconomica Turicenſi propoſitam: quae cauſae ſint primariae penuriae ac caritatis butyri in pago Turicenſi, quibusque modis eius quantitas poſſit augeri, ita tamen, vt caſei mercatui nihil detrimenti adferatur.* p. 269. -- 280.

VII. *Editoris additamentum ad diſſertationem praecedentem.* p. 281. -- 332.

VIII. *Deſcriptio aquae medicatae Pfefferſenſis. Auctore* HIRZELIO *iuniori, Turicenſi, M. D. Pars prima, complectens rationem itineris Turico verſus Pfeffers inſtituendi.* Magna eſt in Heluetia aquae medicatae Pfefferſenſis celebritas. Eius naturam viresque auctor alio loco perſequetur. p. 333. -- 368.

IX. *Societatis phyſico-oeconomicae Turicenſis literae ad incolas villae Altſtetten prope Turicum.* Oeconomici ſunt argumenti. p. 369. -- 388.

X. *Tentamen nouae docimaſiae variarum minerarum, maxime cuprearum. Auctore* EXSCHAQUET. Noua docimaſia ab auctore propoſita his maxime nominibus commendatur. 1) Calcinatio ac ſublimatio ſulphuris eodem tempore contingunt, quo ipſae minerae liquantur, fiuntque accuratiſſime et vno fere temporis momento. 2) Tentamina paucos ſumtus exigunt citiusque abſoluuntur. 3) Productum maius largiuntur. 4) Minerarum refractariarum docimaſia facili negotio ſuccedit. — Hac in docimaſia nitrum primarias partes ſuſtinet. p. 389. -- 399.

p. 397. XI. *Noua experimenta ad chalybem parandum ac*
--412. *rumque purgandum et ductile reddendum. Auctore* ex-
SCHAQUET. Ad aurum purgandum vtitur acido phos-
phoreo impuro, alcali minerali ita saturato, vt prae-
terea portionem selenitae ex ossibus suscipere possit.
Cum hoc fluxu aurum colliquatur, qua re purum ac
ductile fit.

p. 413. XII. *Recensio itinerarii Heluetici a Ploucqueto edi-*
--436. *ti.* Accedit additamentum ad dissertationem in prima
volumine contentam de mechanismo montium gla-
cialium Heluetiae, auctore eodem KVHNIO.

p. 437. XIII. *Relationes argumenti miscellanei.* De rebus
--440. mineralogicis etc. Proponitur praemium ei, qui de
basaltae natura et origine optime scripserit.

XIX.

Dictionnaire des merveilles de la nature. Par un
A. I. S. D. Seconde édition. Tome premier et
second. à Paris. Rue et Hôtel Serpente.
MDCCLXXXIII. avec approbation et privilege
du Roi. 8. pagg. 493. et 476.

i. e.

Dictionarium rerum naturalium mirabilium. Vo-
lumina duo.

E magna copia librorum bonae notae (nominantur
in praefatione acta academiae scientiarum Pari-
nae, acta academiae Leopoldinae naturae curiosorum,
transactiones philosophicae, diarium eruditorum etc.)
auctor hanc rerum ac phaenomenorum naturalium
cognitu dignorum farraginem congessit, quo labore
quin plurimis talium rerum amatoribus pergratum
fecerit, nulli dubitamus.

Prioris voluminis contenta sunt haec. Abstinen-
tiae extraordinariae exempla (p. 1 - 23). Enixus ex-
traor-

traordinarii exempla (p. 23 - 35). Achates mirabilis (p. 35-36). Magnes (p. 36 - 40). Animalia viua in variis corporibus ineluſa (p. 40 - 55). Animalia extraordinaria (p. 55 - 56). Antipathia (p. 56 - 61). Arbor Iaponenſis (p. 61). Arcus coeleſtis (p. 61 - 70). Argilla (p. 70-71). Amicitiae inter animalia extraordinariae (p. 71 - 74). Virga diuinatrix (p. 75 - 81). Cadauera (p. 81 - 86). Catalepſis (p. 86 - 97). Cauernae (p. 97 - 123). Cerebrum (p. 123 - 131). Calor (p. 131 - 134). Capilli (p. 134 - 137). Monſtra (p. 137 - 173). Conſtipationes extraordinariae (p. 173 - 175). Corpora peregrina in corpore humano (p. 175 - 197). Dentes (p. 197 - 203). Exſiccationes partium corporis humani (p. 203 - 207). Aberrationes naturae (p. 207 - 219). Echo (p. 220 - 222). Aqua (p. 222 - 233). Efferueſcentia frigida (p. 233 - 238). Vires naturae intenſae (p. 238 - 240). Electricitas (p. 240 - 246). Infantes praecoces (p. 246 - 264). Ventriculus (p. 264 - 282). Euacuationes extraordinariae (p. 282 - 299). Foecunditas (p. 299 - 306). Fermentatio (p. 306 - 307). Ignes ſubterranei (p. 307 - 326). Fluxus et refluxus maris (p. 326 - 333). Fontes extraordinarii (p. 333 - 345). Frigus (p. 345 - 353). Fructus (p. 353 - 354). Gigantes (p. 354 - 364). Glacies (p. 364 - 366). Grando (p. 366 - 371). Grauiditatis extraordinariae exempla (p. 371 - 383). Homines extraordinarii (p. 383 - 391). Homines marini (p. 391 - 396). Hydrophobia (p. 396 - 405). Imaginatio (p. 406 - 432). Incendia (p. 432 - 439). Incendia ſpontanea (p. 439 - 463). Inundationes (p. 463 - 467). Inſenſibilitas (p. 468 - 469). Inſtinctus (p. 470 - 474). Lac (p. 474 - 483). Lingua (p. 483 - 493). Lux (p. 493).

Volumine altero ſequentia inſunt. Magnetiſmus (p. 1 - 9). Magnetiſmus animalis (p. 9 - 17). Morbi extraordinarii (p. 17 - 35). Comedones extraordinarii

(p. 35 - 39). Memoria (p. 40 - 45). Mare (p. 45-64). Meteora (p. 64 - 95). Mephites (p. 95 - 131). Mons apparens (p. 131 - 147). Muſca extraordinaria (p. 147 - 152). Muti (p. 152 - 158). Nani (p. 158-174). Aethiops (p. 174 - 176). Nix (p. 176 - 185). Odoratus (p. 186). Oculus (p. 187 - 189). Ova (p. 189 - 197). Vnguis (p. 197 - 200). Oſſa (p. 200-209). Turbo (*ouragan*) (p. 209 - 223). Petrefacta (p. 223-233). Phoſphori (p. 233 - 245). Lapides (p. 245-257). Vrinatores extraordinarii (p. 257 - 264). Pluviae (p. 264 - 275). Reproductiones animales (p. 275 - 280). Rupes (p. 280 - 288). Salamandra (p. 288 - 291). Homines apud feras educati (p. 291-292). Planta ſenſitiua (p. 292 - 301). Sitis (p. 301-304). Sol (p. 304 - 306). Somnus (p. 306 - 327). Somnambuli (p. 327 - 343). Sudor (p. 343 - 351). Superfoetatio (p. 351 - 355). Surditas (p. 355-356). Sympathia (p. 356). Tactus (p. 356 - 363). Tarantiſmus (p. 363-371). Terror (p. 371 - 375). Tonitru (p. 375 - 402). Terrae motus (p. 402 - 427). Preſteres (*trombes*) (p. 427 - 437). Vegetatio (p. 437-449). Ventriloquus (p. 449 - 450). Vermes (p. 450 - 459). Senectus (p. 459 - 467). Vulcani (p. 467 - 476).

Vellemus, noſter ſingulis locis auctores, vnde ſua depromſit, adnotaſſet. — Ceterum altera haec editio ſola prioris repetitio eſt, nullisque aucta additamentis.

XX.

CAR. LINNAEI entomologia Faunae Suecicae, deſcriptionibus aucta D. D. SCOPOLI, GEOFFROY, DEGEER, FABRICII, SCHRANK etc. ſpeciebus vel in ſyſtemate non enumeratis, vel nuperrime detectis, vel ſpeciebus Galliae auſtralis locupletata, generum, ſpecierumque rariorum iconibus

nibus ornata, curante et augente CAROLO DE VILLERS, acad. Lugdun. Maſſilienſ. Villafr. Rodomag. ſocio, nec non geometriae profeſſ. reg. T. I—IV. Lugduni apud Pieſtreum et Molierium. CIↃIↃCCLXXXIX. 8. c. XIII. fig. aen.

Si, cuius titulum deſcripſimus, opus ex idea deſcriptioneque, diu animo concepta, multum huc illuc agitata, atque ſic magis magisque emendata, a viro, entomologiae perito, elaboratum fuiſſet, habebamus ſane librum, de cuius in publicum euulgatione huius doctrinae amatoribus congratulari iure meritoque poteramus. Sed cum accurate hanc entomologiam peruolueremus, inueniebamus, Cl. auctorem in eo peccaſſe, vt neque probabilem operis deſcriptionem antea animo formaret ſuo, quam ad librum ſcribendum ſeſe accingebat, neque diligens eſſet in iis colligendis, quae ab aliis iam inuenta, recteue emendata erant. Quam multa haec naturalis ſcientiae pars indefeſſo ſtudio naturae ſcrutatorum debet, quorum largum prouentum Germania protulit, et adhuc profert noſtra! Quae niſi entomologi exteri, ob linguae Germanicae inſcitiam, in ſuos conuertere vſus potuerint, manca ſemper erunt eorum opera, quibus vniuerſam entomologiam complecti ſtudent. Id igitur et noſtro accidit Villerſio. Etenim quamquam hoc amplum ſatis opus iis inſectis conſiderandis atque in ordinem ſyſtematis redigendis tantummodo dicatum eſt, quae Europa profert alitque, ideoque omnibus numeris abſolutum, completumque quid exſpectari, quin poſci iure poterat, tamen multa deſunt, quae ex LAICHARTINGIO *), HARRERO **), FUESSLYO ***), HERB-

*) I. N. E. V. LAICHARTINGS *Verzeichniſs u. Beſchreibung der Tyroler Inſecten.* Th. I. Abth. 1. 2. Zürich. 1781-84. 8.

**) GE. ALBR. HARRERS *Beſchreibung der Inſecten, welche*

HERBSTIO *), ex opere periodico, quod ſub nomine *ſcrutatoris* (der Naturforſcher) nomine apud nos prodit, aliisque ſat multis libris germanicis addi facillime poterant.

Faunam Suecicam immortalis LINNAEI, quae ob ſingularem praeſtantiam ſemper iis, qui ſimilem laborem moliri cupiunt, exemplo erit, veluti fundamentum totius operis poſitam eſſe, cum titulus praeferat, nonne poteramus ſperare, vt eadem, quae a LINNAEO adhibita fuit, rerum pertractandarum ratio in vſus vocaretur, atque, praeter characteres magis quam in *ſyſtemate naturae* factum erat, elaboratos accuratioresque, quaelibet inſectorum indiuidua fuſius deſcriberentur. Sed alia ingreditur via Cl. Auctor. Nam in tribus prioribus voluminibus attulit quidem detecta a recentioribus entomologis inſecta, ſed volumine demum quarto eorum deſcriptio cum lectoribus ita communicatur, vt ſaepius ne fontes quidem, vnde hauſta eſt, adferantur. Nec vacat, nec lubet pluribus oſtendere, quam parum hoc ordine, an potius ordinis neglectu lectorum commodis ſit proſpectum. Praeter haec, quae iam monuimus, poterit et hoc, quod haud leuidenſe nobis videtur, iure in hoc opere carpi, quod Cl. Auctor noua, quae Faunae Suecicae

welche I. C. SCHAEFER *in* 280. *ausgemahlten Kupf. in* 3. *Theilen beſchrieben.* Th. I. 2. Regensb. 784. 8.

***) I. C. FÜSSLY'S *Magazin für die Liebhaber der Entomologie.* B. I. II. Zürich. 778 -- 80. 8. nec non EIVSDEM *neues Magazin* B. I -- III. Ibid. 1781 -- 86. eiusque libri continuationem a I. I. RÖMERO factam 1787. EIVSD. *Verzeichniſs der ihm bekannten Schweizeriſchen Inſecten* Ibid. 775. 4. et denique *Archiv der Inſectengeſchichte* Heft 1 -- 5. ibid. 4.

*) I. F. W. HERBST *Einleitung zur Kenntniſs der Inſecten.* B. I -- III. Berlin 784 -- 87. 8.

cicae acceſſerunt, inſecta non ſuo quaelibet ordini generique indiderit (id quod, ſi ſtrenuus ordinis apti obſeruator eſſe vellet, omnino facere debebat,); ſed veluti appendiculam Linnaeanis adiecerit. At enimvero hoc, quo vſus eſt, modo multis ſuperſedere poterat criticis et ſaepe ſat difficilibus diſquiſitionibus.

Vt vero et lectores noſtri intelligant, quantopere aucta ſit Fauna Suecica, exempli loco in medium producamus, quae coleopterorum claſſi noua acceſſerunt inſecta. *Dermeſtis* genus vna, *Chryſomelae* tribus, *Curculionis* quinque, *Dytiſci* duabus, et *Carabi* decem ab auctore ſpeciebus auctum eſt, quae tamen omnes tam breuiter et indefinite deſcriptae ſunt, vt, eſſentialibus earum characteribus deſtituti, ex fide ſolummodo data Cl. VILLERSIO credere debeamus, ea nouas eſſe nec prius deſcriptas ſpecies.

Volumen I. claſſem *coleopterorum* LINNAEI cum hemipteris continet; in ſecundo *lepidoptera* prodeunt; tertium *hymenoptera* atque *diptera* comprehendit, et quartum denique de *apteris* exponit, deſcriptiones, quas ſupra commemorauimus, inſectorum, quae Faunae recens adiecta ſunt, appendicemque e FABRICII Mantiſſis exhibet. Cuilibet volumini *nomenclator entomologicus*, comparatioque generum a LINNAEO, DEGEERIO, GEOFFROY, et FABRICIO conſtitutorum praefixa ſunt.

Quae operi adiectae ſunt tabulae aeneae, eae cuiuslibet ordinis, et ſaepe etiam cuiuslibet memoratu dignae familiae vnum alterumque accurate nitideque repraeſentant inſectum, ita, vt optandum ſit, vt deſcriptiones et definitiones inſectorum aeque accurate et diligenter eſſnt confectae.

XXI.

Verſuch über die Prüfung der Luftgüte. Nebſt einem Beytrage zur mediciniſchen Polizey, von D. IOH. CARL

CARL HEINR. ACKERMANN. *Leipzig bey Böhme* CIↃIↃCCLXXXXI. *pagg.* 60. 8. *nebſt* 1 *Kupf.*

h. e.

Tentamen aëris puritatem definiendi; nec non ſymbolas ad medicinae politiam, offert D. IO. CAROL. HENR. ACKERMANN.

p. 3. Auctor harum plagularum iam alio loco *), vti ex eius didicimus praefatione, de methodo expoſuit, experimenta eudiometrica cum inſtrumento inſtituendi, cuius mechaniſmus combuſtioni corporum inflammabilium innititur, eo celerius procedenti, quo purior eſt aër flammam ambiens. Sed ille haec in vniuerſum tantummodo propoſuit, nec inſtrumentum tale accurate deſcripſit, fide ſolum data, ſe totam eiusmodi inſtrumenti rationem dilucidiſſime alio eſſe tempore expoſiturum. Quod quidem nomen iam nunc ſoluit. Inſtrumenti vero ratio haec eſt: bilancis admodum ſenſibilis ſurſum curuato altero brachio extremo adfixum eſt vaſculum metallicum, cuius pondus aequipollet lanci alterius brachii extremo appenſae. Aginam ſupremam arcus finit metallicus, in certum graduum numerum diſtinctus, ad cuius latera lingula inclinationis ſuae magnitudinem ipſa indicat. Praeter hanc bilancem horologio opus eſt, cuius index minuta ſecunda accurate monſtrat. Tum ita inſtructus experimentator certam quandam ſpiritus vini rectificatiſſimi quantitatem, in omnibus experimentis eandem, in vaſculum aeneum bilancis infuſam, ſcintilla electrica inflammat, horologiique ope tempus notat, quo illa ſpiritus copia deflagrat. Ex hoc tempore, graduque, ad quem vſque lingula deprimatur, aëris puritatem concludit, in quo haec inflammatio facta fuit. Loco ſpiritus vini poterat quod-

*) *Journal von u. für Deutſchland.* Jahrg. VI. St. 4.

quodlibet aliud corpus inflammabile adhiberi: ſed Cl. Auct. reliquis ſpiritum vini praefert, quoniam putat, in huius quantitate, ſemper ſibi conſtante, phlogiſti copiam quoque ſemper eandem ineſſe. Attamen phoſphorum etiam ſpiritui vini propterea, quod ab eius conflagratione aër dephlogiſticatus haud facile impurior reddi ſoleat, antepoſiturus erat, niſi phlogiſton nimis inaequali modo per hanc ſubſtantiam diſtributum eſſet. — Nolumus huius inſtrumenti mancam atque nullo artificio perficiendam conſtructionem multis oſtendere. Nam in tanta copia longe perfectiorum eudiometrorum nos haud veremur, ne quis hoc ACKERMANNI inſtrumento vtatur.

Symbola ad medicinae politiam coemeteria conſiderat, variaque conſilia de via ac ratione promit, qua haec mortuorum conditoria ſanitati viuentium minus nocifera fieri poſſint. Ante omnia debent haec coemeteria extra vrbis pomoeria aperiri: etenim et veteres Graecos Romanosque rogos, quibus defunctos cremandos imponebant, etiam procul ab vrbibus exſtruebant, ne aëris puritas in vrbibus tali igne imminueretur (??). Porro diſtantia horum coemeteriorum ab vrbibus omninoque hominum domiciliis maior, quam nunc plerumque eſſe ſolet, lege conſtitui debet. Magisque ſecuritati proſpectum foret noſtrae, ſi conditiua ab accolarum aedibus monte, aut fluuio, aut ſylua diſiungerentur, aut, cum hoc per ſoli rationem ſaepe fieri nequeat, certe muri, quibus illa humandis cadaueribus humanis deſtinata loca cingi ſolent, altiores erigerentur (?). Ventorum quoque rationem habendam eſſe, cum nouum coemeterio aptum locum anquirimus, recte quidem ſtatuit Cl. Auctor, ſed in eo videtur reprehendendus, quod ad ventos humidos atque calidos tantum reſpici iubeat. Etenim quando vrbis cuiusdam ſitus ita ſe habet, vt venti hi calidi humidique rarius, contra ea frigidi atque p. 36.

que ſicci frequentius, quin interdum fere ſemper re-
ſus vrbem ſpirent, nobis quidem coemeterium ad eius
modi coeli regionem, vnde talis ventus frequentis-
me cooritur, male collocari videtur. — Omnino
optime homines in montium iugis humantur, quo-
niam et putridi vapores tunc in altiore coeli regione
diſperguntur, quam vt hominibus viuentibus inde no-
xa vlla ſit metuenda, et aquarum ſtagnatio, in talibus
locis admodum nociua, impediatur. — Neque ne-
gligenda ſoli ratio erit: praeferendum enim eſſe vi-
detur illud, quod madefactum cito iterum ſiccetur,
atque concreditum ipſi cadauer longo demum in-
vallo temporis in putrilaginem reſoluit. — Arbores
inprimis abietes pinique, in coemeteriis ſerendae
ſunt, quoniam hae et citam euaporationem particu-
larum putridarum, earumque nimis copioſum ve-
viuentium domicilia appulſum impediunt, et aeri
dephlogiſticatum exhalando atmoſphaeram, coeme-
teriis incumbentem, meliorem reddunt. — Denique
a magiſtratu medico etiam tumulis ipſis recte face-
dis leges ſcribendae ſunt, quorum cauernae vi-
trium vlnarum profunditatem effodiendae, nec pri-
iterum aperiendae, quam certi ſumus, conditum il-
cadauer penitus deſtructum, atque in terram quan-
dam inodoram reſolutum eſſe. Templa, quae plu-
rumque in coemeteriis exſtructa ſunt, ſanitati eorum,
qui illa frequentant, neutiquam conuenire, et quae
ſunt reliqua.

XXII.

Commentationes ſocietatis regiae ſcientiarum
Gottingenſis ad annum CIↃIↃCCLXXXIV. et
LXXXV. Vol. VII. Gotting. CIↃIↃCCLXXXVI. 4.
pag. 384. Vol. VIII. ad ann. LXXXV. et LXXXVI.
pagg. 447. Gott. CIↃIↃCCLXXXVII. Vol. IX.

ad ann. LXXXVII. et LXXXVIII. pagg. 402. Gott. CIↃIↃCCLXXXIX. apud Io. Chr. Dietrich.

Nuper expoſuimus de commentationibus, quas tribus praecedentibus voluminibus contentas, celeberrimae huius ſocietatis membra publici iuris fecerunt. Nunc pergamus in eodem, nobis gratiſſimo, labore, atque, quae noſtri inſtituti fert ratio, argumenta diſſertationum phyſicarum et medicarum paulo diligentius et copioſius cum lectoribus communicemus noſtris: reliquarum enim, quae mathematica atque philologica pertractant, titulos tantum indicare conſumus.

In voluminis quidem ſeptimi praefatione Vir Vol. ſummus, CHR. G. HEYNE, qui ſocietati a literis eſt, VII. de iis expoſuit, quae partim a Sodalibus per annos CIↃIↃCCLXXXIV et LXXXV. ad publicam vtilitatem augendamque huius ſcientiarum academiae famam geſta ſunt, partim fauſta infauſta ipſi euenerunt. Scilicet Exper. IO. PETR. FRANK, ob ſuum Gottinga Papiam diſceſſum, vt medicam ibi artem profiteretur, lectum, in Sodalium exterorum numerum relatus eſt, et cum e membris in terris Hannoueranis FR. EL. de OSTENDORF, tribunalis ſummi appellationum Celenſis pro praeſide, ex amicis vero ac literarum conſortio coniunctis viris doctis IO. ANDR. DIEZ, profeſſor hiſtoriae literariae in vniuerſitate literaria Moguntina, ad meliores abiiſſent, redintegratus eſt *Sodalium in terris Hannoueranis* numerus allectis et phyſicae claſſi adſcriptis Generoſiſſimo NIC. FR. de REDEN, M. Britanniae regi a conſiliis interioribus camerae redituum, et rei metallicae per ſaltus Hercynios praefecto etc., et Generoſiſſ. FR. GVIL. HENR. de TREBRA, M. Britann. regis pro praefecto rei metallicae. Inter *ſodales exteros* et quidem in claſſe phyſica adſcripti ſunt FRANC. VLRIC. THEODOS. AEPINVS, Ruſſia-

rum Auguſtae a conſiliis ſecretioribus ſtatus imperii in collegio negotiorum publicorum imperii externorum; director ſcholae nobilium tironum ad S. Petropolin, ordinis S. Annae eques; Illuſtr. Comes CARLVS DE SICKINGEN, Princ pi electori Palatino-Bavarico a conſiliis ſecretioribus etc.; Generoſiſſ. LIPP. FRID. L. B. DE DIETRICH, regis Galliarum Commiſſarius rei metallicae et ſalinariae, ordinis Heluetiorum et Griſonum a ſecretis etc. In numerum *amicorum et literarum commerciis coniunctorum* relati ſunt Exp. LEBR. FRID. BENI. LENTIN, M. Britann. regi inter medicos aulicos, ciuit. Luneburg. med. publicus; LVD. ALB. GEBHARDI, Profeſſor academia reg. equeſtri Luneburgenſi; MARSILII LANDRIANI, Mediolanenſis; MATH. MEDERER, Chirurgiae et artis obſtetriciae profeſſor in vniuerſitate Friburgenſi in Briſgouia, reg. Polon. a conſiliis aul. et med ordinar.; IO. LVDOV. HOGREVE, M. Britan. reg. centurio turmae architectorum militarium; IO. GA. KOCH, Auguſtae Ruſſiarum a conſiliis aulicis; PETR. AVG. BROVSSONET, Med. D. Profeſſor adiunctus oeconomiae ruralis in academ. reg. Galliar. veterinar.; IO. CLOSTERMANN, inſpector puerorum nobilium S. M. Ruſſiarum imperatricis; IO. SIBTHORP, M. D. Profeſſor botanices Oxonienſis; DANIEL CORDES. art. liber. et philoſ. mag. reg. vniuerſ. Peſtenſis bibliothecae a cuſtodia et profeſſor, denique Exper. REINEGG atque SEBALD. IVSTIN. BRVGMANS, M. D. et philoſ. profeſſor in acad. Franequerana. Aſſeſſoris loco et nomine ornatus fuit AVG. HENR. LVD. HEY-REN, philoſ. doctor.

De quaeſtionibus publice ad diſceptandum ab academia propoſitis alio egimus tempore.

Iam de commentationibus ipſis videamus. Ad *phyſici* quidem argumenti ſunt

p 1-28. I. IO. FRID. GMELINI comment. *de ferri cum zinco coniunctione*, recitata a. d. 28 Aug. 1784. — Ad vitae-

vitanda incommoda cum vſu vaſorum ex ferro cu-
pro, orichalco formatorum coniuncta, quippe quae
facile rubiginem aeruginemque contrahunt, gratum
nitorem amittunt, contenta corrumpunt, ars homi-
num aliud excogitauit ſubſidium. Internam enim
horum vaſorum metallicorum ſuperficiem cortice
metallorum durabiliorum, auri atque argenti, quin
ſtanni, fulgore ſtabiliore praediti et facilius liquandi
obducere ſolent. Cum vero ab auri argentique vſu
olerique pretio detineantur, confugiunt ad ſtannum,
quo vix tuto vti licet. Raro enim a metallis
valetudini infeſtis plane liberum eſt, et diligentiſſima
depuratione vix omni arſenico priuatur, mul-
tumque de ſuo amittit ſplendore. Accedit mos ma-
xime peruerſus, quo ſtanno, quod ad cuprum aut fer-
rum obducendum impendunt, conſulto, quo facilio-
rem ſibi reddant laborem, plumbum admiſcent, quin
in Anglicis et Bohemicis officinis, quibus ferri cupri-
que laminas ſtanno dealbant, ad maiorem tenacitatem
ipſis conciliandam cupri portionem addere ſolent.
Aliud igitur Auct. Ill. in hac tractatione conſilium
huncce finem minori valetudinis damno aſſequendi
propoſuit. Zincum quamuis non minori, quam ſtan-
num, pretio conſtet, aliis tamen virtutibus hoc longe
ſuperat, nitor eiusdem lucidior, ſplendor nec vapore
ſulphuris ardentis, nec hepate ſulphuris, nec aëre
hepatico hebetatur, durities maior, minor per fricti-
nem continuam iactura, difficilior liquatio, adeoque
maior in igne conſtantia et adhaeſio, defectus omnis
odoris, adeoque ingrati iſtius, quem ſtannum calefa-
ctum ſpargit. Attendendum quoque ad emolumen-
tum, quod (e magno huius metalli vſu) in illas terras,
quae zinci mineris abundant, redundat. Neque re-
ticenda ſunt incommoda ex eiusdem vſu forte oriun-
da. Commune hoc habet cum omnibus metallis,
praeter aurum et platinam, quae omnibus, excepto

regalino, reſiſtunt acidis, quod ab acidis et ſalibus ſ
rodatur et diſſoluatur. Particulae tamen iſtae
diſſolutae rebus in vaſis iſtis contentis noxias non
pertiuntur vires. MALOUIN igitur aeque ac DE
FOLIE methodum hancce ferrum et cuprum zinc
muniendi commendarunt, multique Mannhemii
Gothae hocce conſilium re ipſa perfecerunt. C
vero cortex zinci praecipue in ſuperficie externa p
pter ſummam zinci inflammabilitatem facile com
ratur, ferrumque denudetur, auct. ill. arctius con
bium, quam ſolum ſuperficierum contactum, inte
Hac enim ratione vitia alterius metalli alterius to
rentur virtutibus, ſplendor et mallei obſequium z
co, facilior in fluidum ſtatum tranſitus et tenac
ferro deberetur. Quem quidem finem nos aſſe
poſſe ſtanni ſuadet ſimilitudo, quod facile cum ferr
vt BERGMANVS comprobauit, init connubium; ob
ſtant vero ſcriptorum in tractandis metallis verſat
morum teſtimonia, qui hanc coniunctionem difficil
lem iudicant, eamque vlla ratione fieri poſſe, diſer
verbis non confirmant, zinco nullum inter corpo
a ferro attrahenda, ferro vltimum inter corpora a z
co attrahenda locum aſſignant. Solus HENKELIV
in pyritologiae variis locis de ferri cum zinco co
iunctione vt de re notiſſima et facili loquitur, q
regulus ductilis, argento ſimilis, durusque prod
modum vero ipſum non diligenter deſcripſit. Studi
ſe igitur Auct. tentaminibus variis modum, quo hoc
ce connubium intimum perficiatur, indagatus e
p 13. Omnibus vero ſuis laboribus, quibus modo zincum
modo calcem eiusdem cum ferri ſcobe aut ochra eius
dem vario ignis gradu, additis aliis corporibus, vaſis to
ctis, quin glutine obſerratis, aliisque artificiis tractau
intimum horum duorum metallorum non potuit effice
re connubium. Zincum plerumque florum forma v
aſſedit, vel conflagrauit, ferrum non fuit mutatum

Quae-

Quaedam tamen zinci pars, quae remanſit, quemadmodum per examina intellexit, aliquid in ſe ſuſcepit ferri, omneque haec metalla non reſpuere connubium ſatis apparet. Ipſum vero zincum non tenacius, ſed fragilius potius euaſit, eaque ipſa fragilitas ne tum quidem, cum globulum huius maſſae adſperſo borace coram tubo ferruminatorio in carbone liquaret, ceſſauit. In his vero globulis potiores zincum tenuiſſe videtur partes, cum altera vice ſimiles globuli ſolidiores, naturam potius ferri quam zinci, eo quod malleo et magneti obtemperarent, coloreque eſſent obſcuriore, ſeruauerint. Debilem exinde zinci cum ferro deducit affinitatem, quamuis zincum rariſſime ab omni immune ſit ferro. Sequenti vero tempore haec tentamina vlterius proſecuturus eſt. Tertii enim corporis ſubſidio vinculum inter vtrumque metallum arctius nectatur, aut materies accedat, quae, vt ferrum leniori igne liqueſcat, zincique flammam exſtinguat, efficit.

II. IO. FR. BLVMENBACH *de oculis leucaethiopum et iridis motu*, recitata d. IX. Octobr. CIↃIↃCCLXXXIV. p. 29 62.

Expoſita ſcribendi de hoc argumento occaſione, quam Cel. Auctori iter in Heluetiam ſuſceptum ſuppeditauit, in oculos leucaethiopum inquirit. Cum in hisce oculis morboſe adfectis pigmentum illud nigrum deſit, quo plures oculi interni membranae obductae ſunt, ante omnia de dignitate huius muci diſquirit, eamque e ſingulari pectine plicato, quod auium oculis proprium eſt, et ex fundo oculi exque ipſa nerui optici inſertione productum in medium corpus vitreum penetrat; porro ex eorum animalium exemplo, quorum choroideae facies interior, retinae obverſa, in fundo praeſertim, elegantiſſimo illo *tapeto*, vt vocant, pingitur, et quorum oculos aut obiecta tantum propinqua cernere, aut lucem iniquius ferre poſſe conſtat; denique e praeſentia eiusdem iam in

tenerrimi embryonis oculis demonſtrat. Ille pigmenti nigri defectus, quem in calidi tantum ſanguinis animalibus obſeruauit B. et oculorum eleganter roſeum colorem efficere notum eſt, characterem eſſentialem morbi qui *leucaethiopiae* nomine olim inſignitus fuit conſtituit, debilioremque reddit viſum, quin interdum lucis plane impatientem. Hicce morbus cutem praecipue occupat et *connatus*, haud raro quoque *hereditarius* eſt. Inde cl. Auct. in conſenſum cutis cum oculis, ab Ariſtotele iam recte obſeruatum, inquirit eumque variis et ab humano genere, et ab animalibus brutis deſumtis obſeruationibus confirmat. Caſus huius conſenſus in ſimilitudine fabricae quaerendus eſt. Vti enim iridis colores in tenerrimo cellulari contextu, qui primarium huius membranae parenchyma conſtituit, reſidere in aprico eſt, ita illud quod integumenta communia tingit, pigmentum ſimili tenuiſſimae celluloſae telae inhaeret. Omnes igitur partes, quae e tenello conſtant parenchymate pinguedinis experte. et cui numeroſiſſima vaſa ſanguifera vel intertexta ſunt, vel ſaltem vicina adiacent, nigro colore poſſunt tingi. Hinc patet, cur et pilorum color cum oculorum colore conueniat. Nam et illa ſpongioſa tela, quae pilorum texturam conſtituit, cum celluloſa cutis et membranarum oculi conuenire probabile eſt. Quid igitur mirum, ſi iridis color ſubinde eaſdem cum capillis mutationes ſubeat? Ligaro quidem ſectoque neruo octaui paris in canibus iridis colorem mutari adſeruit MOLINELLI, ſed repetito experimento ab Auct. rei veritas haud confirmata. In hydrophobia idem obſeruatum eſt. — Praeter roſeum iridis colorem etiam in leucaethiopum oculis ſingularem eiusdem membranae motitationem obſeruauit Cel. BL. Igitur nunc et de iridis motu exponit. Varietate, quam natura in formanda iride ſequi ſolet, breuiter oſtenſa, de phocae oculo et amphibiorum

rum visu excursionem adiicit. In stryge bubone L. singularem et oculo armato perquam distincte obseruandum mediae iridis zonae motum, qui inquietus et quasi spasticus erat adeo, vt vel exinde opinionem egregie confirmatam videret Cl. Auctor, statum iridis naturalem, quietem sc., in retractione huius membranae s. pupillae dilatatione consistere; expansionem vero, seu arctam pupillam violentiorem eius esse statum. Quod cum in tenellis infantibus dormientibus secus inueniret, causam huius rei addit, consuetudinis vim, et membranae pupillaris, cuius simul vsum docet, in foetu praesentiam. Quibus omnibus docte et diligenter expositis, iridis cum retina consensum, et varias de viribus iridem mouentibus opiniones enarrat B., demonstrans, eum e vita huius membranae propria pendere.

III. IO. PETR. FRANCKII *obseruationes medico-chirurgicae*, recitatae d. XIII. Nou. CIↃIↃCCLXXXIV. p. 63 – 78.

Prima obseruatio hydropem sistit, cum vasorum ossificatione coniunctum. Vasa vero haec erant arteriae cordis coronariae ab exortu suo, aorta descendens statim, postquam arterias renales exhibuit, vsque ad iliacas, quae etiam osseae ad femora pergebant. Renales vero arteriae tantummodo cartilaginosam naturam ac duritiem induerant. Notari meretur, patrem duosque filios eodem morbo, hydrope pectoris et arteriarum ossificatione, obiisse. — Altera obseruatio haemorrhagiam sistit, quae perforationem caluariae inhibuit in iuuene rustico, XXIV. annos nato, qui peracuto ita percussus erat gladio, vt ad anteriorem conuexamque ossis frontalis partem dextram in distantia pollicis vnius cum dimidio a futura sagittali vulnus externam cranii laminam diuideret atque eleuaret. Dissectum post aegroti obitum cranium caluariam exhibebat, crassitie hinc illinc valde inaequalem. Interna ossis frontis superficies, quae illi loco respondebat,

cui perforans inſtrumentum erat admotum, ita fa
excauata, vt fabam mediocrem facile reciperet: hunc
vero locum concauum VII. vaſa totidem foramina
perforabant, et ad oſſis ſubſtantiam migrabant, diplo
hic omnino deſtitutam, hinc multo tenuiorem. —
Tertia obſeruatio de partu difficili ob hydropem in
teſtinorum in foetu obuium exponit. Continebant
VIII. librae, et quod excurrit, aquae pellucidae am
plis veſicis ſeu ampullis inter ſe diſtinctis, in diuerſis
locis contractis, interne connatis, coecis, quibus totus
inteſtinorum canalis conſtabat. Exemplum huius
morbi inter rariſſima referendum eſt.

p. 79 – 94. IV. *Deſcriptiones plantarum aliquot nouarum et rariorum*, auct. IO. ANDR. MVRRAY anno 1785 pra
lectae. Plantas, quas auctor iam deſcribit, nec in lo
cupletiſſimis LINNAEI recenſionibus legit, et in
aliis plerasque itidem fruſtra quaeſiuit. Sunt autem
ſequentes: *Euphorbia cyathophora* MVRR. Vmbella
trifida, multifida, appendice calycino cyathiformi, fo
liis plerisque panduraeformibus, infimis caulinis ouatis. Appendice calycis cyathiformi ac colore carnes
foliorum ſummorum ab omnibus Euphorbiis LIBR.
Noſtroque notis diſtinguitur. *Euph. heterophylla* fo
la cum hac E. cyathof. habet folia panduraeformia.
Euph. vmbella trifida inſtructis et quidem pone *E.*
p. 83. *diuaricatam* eſſe adiiciendam, Noſter monet. — *Sile*
ne procumbens calycibus ouatis inflatis, erectis, obſo
lete 10-angularibus; petalis ſubauriculatis bifidis;
caule procumbente. Apici receptaculi, intra caly
cem adhaerentis, et ſtaminum filamenta et germen
inhaerere, vti in *Paſſiflora*, Noſter obſeruauit. No
ſtra vero ſtirps nunc ad tertiam huius generis ſubdi
p. 85. viſionem pone *Sil. pendulam* transferenda eſt. — *Hi*
biſcus annuus ROTTBÖLL. foliis palmatis, 5-partitis;
pedunculis axillaribus, petiolo longioribus: calyce
externo triplo internum ſuperante. Character fructi
ficatio-

ficationis huius ſpeciei fuſior ab Auctore additus eſt. Superficiei huius plantae inferiori foliorum calycique externo adhaerent globuli pellucidi, mucilaginoſi, quos forma liquida ex pilis foliorum atque calycis exſudaſſe Noſter autumat. — *Geranium terebinthinaceum* calycibus monophyllis, reflexis; foliis pinnatifidis, ſinuatis, viſcoſis; caule fruticoſo. In ſyſtemate pone *Ger. gibboſum* collocari debet haec noua ſtirps. Denique Noſter his plantis iam allatis duas *Paeonias* addidit atque diligentius examinauit. Altera enim eſt *Paeonia anomala* LINN., cuius ſemina ab Ill. PALLASIO anno 1778 ſub nomine *P. heterophyllae* accepit. A PALLASIO, qui hanc ſtirpem in Sibiria inuenit, vocatur *Paeon.* foliis fiſſis. Confundi autem aliquando Noſter expertus eſt cum ſua *Paeonia integrifolia* biternatis; foliolis integris, ouatis; corolla regulari, integerrima. Ab omnibus reliquis diſtinguenda eſt foliolis latis iisque integris. p. 88. p. 90. p. 92.

V. HENR. AVG. WRISBERGII *obſeruationes anatomico-phyſiologicae de neruis arteriis venasque comitantibus.* Conſtat HALLERVM ex nimio irritabilitatis ſuae amore illam, quam de neruis circa vaſa plicatis propoſuerat, theoriam iterum 1752. deſeruiſſe. Cum vero extra omnem dubitationem poſitum ſit, animi commotiones pro diuerſo corporis habitu, temperamentorum conditione, ſanitatis ſtatu cum ſecundo, tum aduerſo, etc. corporis noſtri hanc vel illam partem ita afficere, vt mox rubore et ira excandeſcat, mox pallore exalbeſcat etc., de cauſa probabili horum phaenomenorum quaerendum eſt. Neruis hoc in vaſa imperium adſcribendum eſſe, partim ex amico decurſu, et neruorum cum vaſis frequentiſſimo connubio, partim e ſingulari proportione, qua nerui tam diuerſimode per corpus diſperguntur, deriuabatur. Sed modus explicationis huius imperii difficilis erat ad inueniendum. Conſtrictionem, quam nerui in vaſa, p. 95 – 134.

ſa, circum quae circumaguntur, exſerere poſſunt, ro-
roſimilem Cel. w. habet, quod hae partes in omni-
bus fere locis vniuerſi corporis in tenaciſſima fila e
membranulas abeant, quae tenſioni ſaepe ſatis fort
reſiſtant. Sed cum hypotheſibus immorari nolit Cl.
Auctor, oſtendit, quid *quinti ſeptimi octauique* paris et
intercoſtalis cum pluribus artuum neruis diſſectio de
hisce plexibus circa vaſa formatis doceat. Ac primo
notat, circa excretorios ductus neruorum plexus, ſae-
pe omni admiratione dignos, animaduerti, v. c. in de-
ctu Stenoniano, et Whartoniano, in pelui renali, et in
canalibus biliariis. Dein enumerat notabiliora loca,
vbi ramuli neruei quinti paris vaſa amplectuntur et
cingunt, et quidem primo ramus primus ſ. ophthal-
micus frontalis, qua occaſione etiam de vſu et ſeque-
lis horum plexuum in laeſionibus fronti illatis haud
improbabilem adfert opinionem; poſtea vero ſecun-
dus ramus ſ. maxillaris ſuperior, ramus Vidianus, ra-
mus naſo-palatinus SCARPAE, rami pterygoidei et
palatini, infraorbitalis cum tribus, quos emittit, ramu-
lis; dein ramus tertius ſ. maxillaris inferior, huiusque
ramuli, qui ad vaſa aut ductus excretorios eorumque
munia pertinere videntur, lingualis et alueolaris in-
ferior. Eadem ratione nerui ſeptimi ſic dictam vulgo
portionem duram, ſ. rectius communicantis faciei pro-
greſſum et cum vaſis coniunctionem pertractat, cu-
ius nerui rariſſima, et a nullo forſan anatomico ni-
anaſtomoſi cum ramo ſatis amplo octaui paris recur-
rente deſcribitur, e qua commode ſympathia ventri-
culi cum facie in quibusdam hominibus animaduer-
tenda deriuatur. Inter illas partes, quas nerui com-
municantis faciei plexus ambiunt et comitantur, illi
eminent, quos hic neruus circa arteriam faciei trans-
verſalem format; vbi venas et praecipue magnam
faciei amplectitur; dum ductum Stenonianum cingit.
— Tertii quartique nerui, cuius plexus conſideran-
dos

des ſumſerat Cl. Auctor, hiſtoriam alii tempori reſervat plenariam, ne commentationis limites excedat diſſertatio, et nunc neruorum cardiacorum tantum occupat plexus, qui ob numeroſiſſima vaſa lymphatica, quae plexum inſignem lymphaticorum cardiacorum formant, admodum difficiles ad delineandum ſunt. —

VI. EIVSDEM *obſeruationes anatomico-medicae de neruis pharyngis*, praelectae d. 11. April. CIↃIↃCC-LXXXV. Dignitas talis diſquiſitionis patet partim e mirabili deglutitionis ordine et velocitate, partim e ſymptomatibus, quae deglutitionem laeſam preſſo pede ſequuntur tum, cum corpus peregrinum faucibus impactum haeret, aut angina, tonſillaris inprimis, hoc iter praecludit, aut hydrophobia oborta huno canalem ſpaſmis vehementiſſimis conſtringit. Cum pharynx a tribus fontibus neruos accipiat, e pare quinto, octauo et intercoſtali, agit Cel. Auct. primo de neruis pharyngeis e pare quinto ortis. Ramus ſecundus huius paris emittit neruum Vidianum, cuius modo vnus, modo duo tresue ſurculi muſculos ingrediuntur, qui a tuba Euſtachiana alisque pterygoideis orti pharyngis particulam conſtituunt. Cum porro ramus ſecundus paris quinti ſeu neruus palatinus non praecipuis ſolum palati partibus, ſed etiam pharyngi ſurculos haud mediocres impertiat, inde vtriusque partis conſpirans actio recte poteſt explicari. Tertius denique ramus paris quinti duo filamenta tenuiſſima ad pharyngem palatumque mittit, quorum alterum per duriores altiſſimi pharyngis carnes diſpergitur, atque cum ramis recurrentibus e gloſſopharyngeo anaſtomoſes efficit. Vnionem tamen eius cum ſeptimo pare, ganglionque a MARTINIO obſervatum inuenire haud poterat Cel. Auct. — Cum diſputationem de neruis pharyngis ex octauo pare oriundis ingreditur, de erronea inciſorum antiquorum p. 135. – 160.

rum

rum opinione agit, qui diuerſas neruorum ſeries, incongrue ſub faſcium nomine comprehenſas, ſub vna eademque nerui octaui vel vagi paris denominatione deſcripſerunt. Ne igitur eiusdem erroris particeps reddatur de tribus illis neruorum paribus, quae nervum vagum antiquitus conſtituebant, ſingulatim exponit. Accurate vero de progreſſu *gloſſopharyngaei* gangliolo petroſo, eiusdem diuiſione actum eſt in quinque ramos praecipuos, quorum quatuor priores minoresque partim cum ramis ex vago, partim cum neruis mollibus ex intercoſtali, partim inter ſe diuerſimode cohaerent, et per pharyngem omnes diſtribuuntur, quintus autem isque maximus verſus linguae radicem procedit, vnde recte *lingualis* dicitur. — Iam de neruis pharyngaeis diſſeritur e vago dimanantibus, qui edito neruo *communicatorio primo* verſus exitum e foramine lacero progreditur, venae iugulari proxime incumbens; vtprimum in collo comparet, inſignem ramum, ex acceſſorio ortum, accipit, quem Cel w. *communicantem ſecundum* nominare maluit. Quo facto vt plurimum per integri pollicis longitudinem et vltra procedit, nullo memorabili ramo edito: dein vero, vbi par nonum ante illum incedit, ipſe ramus aliquantiſper ab hypogloſſo neruo obtegitur, ibi ramum *pharyngaeum* emittit, cum ratione magnitudinis, tum reſpectu vſus et multiplicis cum aliis partibus copulationis, praecipue autem ob egregium, quod format, ganglion notabilem. Quo ganglio facto neruus pharyngaeus in duo ramos diuiditur, quorum alter *minor* totus in pharyngis regionem trachealem inſeritur, alter *maior* cum ramis e ganglio ceruicali ſuperiore prouenientibus in nouos ramos coaleſcit, *longiorem* et *tenuiorem* alterum, qui cum alio ramo, ex intercoſtali prodeunte, neruum pharyngaeum inferiorem efformat, et *breuiorem* alium, qui partim in ramum laryngaeum ſuperiorem abit, partim

tim cum intercoſtalibus miſcetur. — Denique de nervis pharyngis ab acceſſorio ſuppeditatis pauca diſſerit, cum hic neruus propter conſtantem cum faucibus organisque vocis et deglutitionis conſenſum in plerasque harum partium actiones influat, et in deſcriptione Lobſteiniana, quam fere omnes poſt eius auctorem inciſores ſecuti ſunt, varia occurrant emendationem poſcentia. — Tertius denique fons, vnde nerui pharyngis proueniunt, neruus intercoſtalis eſt, de quo caput tertium diſſertationis huius erud.tiſſimae expoſuit. —

Hiſtoricae ac *philologicae* claſſis commentationes, quae hoc ſeptimo volumine continentur, hisce titulis a ſuis quaeque auctoribus inſignitae ſunt

I. TO. CHPH. GATTERERI commentatio I. *de theogonia Aegyptiorum* ad Herodoti libr. II. c. 145. de tribus Deorum Aegyptiorum claſſibus in genere; recitata d. XX. Aug. CIↃIↃCCLXXXV. p. 3-57.

II. C. MEINERSII comment. *de falſarum religionum origine*, recitata d. VII. Aug. CIↃIↃCCLXXXIV. p. 58 – 74.

III. C. G. HEYNII, Viri Summi, maxime memoratu digna commentatio II. *de fontibus et auctoribus hiſtoriarum Diodori et de eius auctoritate, et auctorum, quos ſequitur, fide aeſtimanda*, ad libros II – V. recitata d. XXIV. Iul. CIↃIↃCCLXXXIV. p. 75 – 106.

IV. EIVSDEM commentatio III eaque vltima de eodem argumento, ad Diodori libros XI – XL. recitata d. II. Iul. CIↃIↃCCLXXXV. p. 107. -- 120.

Claſſis denique *mathematica* obtulit academiae has commentationes:

I. ALB. LVDW. FR. MEISTERI comment. *de ſolidis geometricis pro cognoſcenda eorum indole in certos ordines et verſus diſponendis*, recitata d. 1. Octobr. CIↃIↃCCLXXXV. p. 3-74.

II. ANT. BRVGMANS ſpecimen *mechanicae veterum per mechanicam recentiorem plenius expoſitum.*

Tomus

T. VIII. *Tomus VIII.*

E prolegomenis huius voluminis haec ad ſocietatis ſcientiarum hiſtoriam pertinentia excerpſimus. Inter ſodalibus, amicorum et familiarium nomine adſcriptos EMAN. GOTTL. de HALLER, ſenatorem Bernenſem et praefectum Neodunenſem, et NIC. BECKMANNVM ſupremum aggerum ad Albim continendum M. Britann. R. Procuratorem, mors ad plures abripuit. Sodalis contra ea honorarius acceſſit, IO. MAVR. Com. de BRÜHL, Electori principi Saxoniae a conſiliis ſecretioribus et cubicularius, ad Regem M. Britann. legatus. Inter ſodales vero exteros adſcriptus eſt hiſtoricae claſſi FRANC. PEREZ BAYERVS, Archidiaconus Valentinus, Seren. Hiſpaniae infantum, Caroli III. Regis filiorum, inſtitutor primarius, bibliothecae regiae Madritenſis praefectus; *claſſi* autem *phyſicae* IO. ERN. WICHMANN, M. D. Regi M. Britanniae medicus aulicus; *claſſi* denique *mathematicae* et FR. GVIL. HERSCHEL, I. D. et EDVARD. WARING, Prof. mathes. Cantabrigienſis. Inter amicos et familiares cooptati ſunt FR. AVG. LVD. de BVRGSDORF, Pruſſiarum Regi a conſiliis ad curam ſaltuum ſpectantibus; CARL. GIRTANNER, Med. D. apud Sancto Gallenſes; STANISLAVS MIG. WILLEMET, chemices et botanices Demonſtrator regius in collegio medicorum Nannetenſi, et Decanus Pharmacopolarum; LVD. CHR. LICHTENBERG, Seren. Duci Saxoniae Gothano a conſiliis legationum ſecretioribus, tum a ſecretis et a literarum publicarum cuſtodia; IO. HENR. VOIGT, mathef. et phyſ. profeſſor in gymnaſio illuſtri Gothano. Aſſeſſores denique ſocietatis facti ſunt IO. GOTTL. BVHLE, Prof. Philoſ. extra ordinem creatus et GODOFR. ERN. GRODDECK. Quibus enarratis, et quaeſtionibus in medium productis, quae et propoſito praemio ab academia ornatae, et vt ab eruditis viris diſcuterentur, publice indicatae ſunt, ſermo ſubiicitur, quem Vir

Summus

Summus C. G. HEYNE *de auctoribus formarum, quibus Dii in priſcae artis operibus efficti ſunt*, in conſeſſu ſocietatis habuit d. XV. Iul. CIↃIↃCCLXXXVI. Celſiſſimorum principum Auguſt. M. Britanniae Regis ſobolis praeſentia condecorato.

Commentationes *phyſicae* ſunt hae:

I. IO. FRID. GMELINI comment. *de nuper in lapide ponderoſo et lupi ſpuma inuento ſui generis metallico corpore*, praelecta a. d. 29 Octobr. 1785. — Hisce Auct. ill. tentaminibus aſſerta generoſiſſ. fratrum DE LUYART firmantur. Ex iisdem enim metallicam quandam ſui generis materiam, cum ferro et magneſia nigra, non eadem vero ſemper proportione, combinatam, ſpumam lupi conſtituere intellexit. Multis hoc metallum a quocunque alio metallico corpore differt, pondere ſpecifico, colore tum ſuo, tum calcis, tum illo, quem ſalibus in vitrum liquatis impertitur, difficillimo in igne fluxu, indole, qua ab acidis tum calcis tum metalli ſpecie non ſoluitur, atque faciliori calcis cum alcalibus cauſticis vnione. Quamuis vero multae metallorum nobiliorum virtutes in noſtrum quoque cadant metallum, aliis tamen de cauſſis locum inter ignobiliora Auct. aſſignat. Non ſine cauſſa cum metallum ſpumae lupi ſtanno ſimillimum ſit, in ſtanni fodinis aut prope eas occurrat, admodum ſubtiliter mineris ſtanni inhaereat, vt vix ſeparari poſſit, hoc ipſum iisdem pondus, quo eminent, inſigne conciliare ſtannum eliquatum mirum in modum mutare, alias aliasque aut dotes aut labes impertiri ſuſpicatus eſt. Quo ipſo conſilio plura cum ſtanni mineris inſtituit tentamina, quibus ipſum quidem ſpumae lupi metallum non eruit, ineſſe tamen ideo negare non audet, cum acidum ſpumae lupi difficilius a ſtanni calce dirimi poſſit, quam a ferri et magneſiae nigrae calce, quacum in ſpuma lupi, vel terra calcarea, quacum in lapide ponderoſo coniuncta tenetur. p. 3.

II. IOH.

II. IO. FRID. GMELINI comment. *de nitri acido in tinctura coccinea ſtanni ſoluti in locum ſubſtituendo* praelecta a. d. 21 Octobr. 1786. — Acidum nitroſum colorem caeruleum et rubrum non flauo modo ſimiliorem reddere, ſed in flauum commutare e multorum chemicorum experimentis patet. Terra igitur aluminis acido nitri ſoluta, vt et ſtannum in eodem acido ſolutum, ſi cum pigmentis rubris combinauerit, longe elegantiorem colorem efficit, quam terra aluminis vitriolata et ſtanni in acido regalino ſoluta, quam vtramque vulgo hunc in finem adhibere ſolent. Auct. igitur ill. experimenta eo conſilio inſtituit, vt diſceret, num loco ſolutionis ſtanni in pigmentis e coccionella et granis kermes conficiendis acidum nitri commode, tum laboris, tum ſumtuum compendio impendi poſſet. Quamuis quidem ſtudiis ſuis nondum fulgidiſſimum perfectiſſimumque colorem coccineum effecerit, ſed in mediis modo conſiterit huius coloris gradibus, ſpes tamen nondum omnis in elegantiſſimo quoque hocce colore efficiendo abiicienda, cum minor elegans huius coloris gradus vulgari agendi ratione ſine ſolutione ſtanni proferri non poſſit. Omne ſalis lixiuioſi genus maxima arceatur cura, quo color natiuus multo obſcurior reddatur. Acidum nitroſum nec nimia copia, nec nimis mercum, nec iuſto diutius adhibeatur, ne color vitietur, et filorum tenacitati noxa afferatur. Huius ipſius ope aliae quoque colorum effici poſſunt varietates, color florum ſyringae colorem aemulans, varia cruenei, fuſci, rubri coloris genera. Difficilius verum coccineum colorem ſiue coccionella, ſiue granis kermes vſus fueris, iis artificiis ſerico, goſſypio et lino conciliari poſſe, et Auct. noſtri et aliorum magni nominis virorum comprobant teſtimonia. Serico tamen tum coccionellae tum alios colores rubros ope coccionellae applicari poſſe, atque grana kermes in tingendo

gendo ſerico aliquid valere, quia, goſſypium et linum coccionellae et granorum kermes tinctu imbui poſſe, Auct. docuerunt experimenta.

III. IO. FR. BLVMENBACH *de niſu formatiuo et generationis negotio nuperiores commentationes*, recitatae d. XXIV. Dec. CIↃIↃCCLXXXV. Poſt praemiſſam praefationem, qua ſui ſtudii, niſui formatiuo impenſi hiſtoriam tradidit, ad ipſam rem accedit. Vnicuilibet fere materiae niſus ineſſe videtur, ſub certis circumſtantiis definitam formam induendi. Miſſis iis exemplis, quae ex inorganicis corporibus deſumta ſunt, ex organicis corporibus adferuntur, vt teſtimonia niſus formatiui, generationes morboſae partium praeter naturae ordinem naſcentium, et membranarum quidem, vaſorum ſanguiferorum atque oſſium. Aliud, quod monſtroſos partus attinet, phaenomenon, idque germinibus praeformatis non magis fauens, eſt hoc, quod monſtra, quae in domeſticis animalibus adeo vulgaria ſunt, in feris e contrario eiusdem ſpeciei rariſſima, imo in nonnullis fere inaudita ſunt. — Denique et hybridas generationes huc trahit Cel Auctor, quae natura reddiderit ſterilia, ne ipſa ſpeciem ſuam propagare poſſent. — Igitur vlla exiſtere germina praeformata neque in ſemine virili, neque in ouariis mulieribus, ſed vtriusque generis genitale liquidum informe in ipſa foecundatione commiſceri, tum vero poſtquam haecce ſemina intime inuicem commixta fuere et maturuerunt, niſum in ipſis excitari, eamque ipſam cauſam eſſe, cur non niſi valde affinia animalia proles inuicem generare poſſint. Ex ipſa autem ſeminum miſcela patere quoque, quare hybrida mediam inter vtrumque parentem formam teneant. p. 41 – 68.

IV. EIVSDEM *ſpecimen phyſiologiae comparatae inter animantia calidi et frigidi ſanguinis*, recitatum d. XXIII. Decembr. CIↃIↃCCLXXXVI. Sequitur Cel. B. quatuor functionum claſſes, in quas haud inepte phyſiolo- p. 69 – 100.

ſiologia diuidi ſolet, vitalium, animalium, naturalium et genitalium. Et quidem amphibia noſtratia, ſi cum calidis animantibus comparaueris, pro magnitudine corporis longe parciore ſcatent ſanguinis copia, hinc et carnes eorum magis albeſcunt, viſcera autem non nulla, et maxime quidem pulmones, mirum quantum differunt ab iis calidi ſanguinis animalium. Sanguis arterioſus vix ac ne vix quidem a venoſo in amphibiis differre videtur. Elementa ſanguinis in genere ſpectata amphibiis cum calidi ſanguinis animalibus ſimilia eſſe videntur, niſi quod in illis, quando vivi viſectioni ſubiiciuntur, fere ſemper ſanguinis fluminis elaſtici aëris bullulae admixtae cernantur. Pulmones, ſi molem ſpectemus, ſunt pergrandes, ſi compagem, magis ſpongioſi et celluloſi, quam idem viſcus in animalibus calidi ſanguinis, in quibus tamen vaſa ſanguifera citra omnem comparationem copioſiora adſunt. Alia, quae his viſceribus intercedit, differentia in tono et energia peculiari cernitur, qua humani et aliorum mammalium deſtituuntur pulmones, et cuius virtute, aperto etiam thorace, pulmonibusque externo expoſitis aëri, ſeſe turgentes et flabiles ſuſtinere poſſunt: quid? quod compreſſus ſtudinum viuiſectorum pulmo proprio impetu ſeſe ipſum inflare poteſt. Cauſa huius virtutis ex vita propria horum viſcerum deriuanda videtur. — Calor innatus calidi ſanguinis animalibus maior eſt, quam frigidis. — Quod ad *animales* attinet functiones, haec inter animalia frigidi et calidi ſanguinis intercedit differentia, quod illa cerebrum exiguum, contra ea nervos inde ortos maxime inſignes habent, et inde etiam illa neruorum energia, quae his ipſis partibus propria eſt, et minime ab encephali ſ. ſenſorii influxu pendet, reliqua calidi ſanguinis animantia antecellunt. De ſenſibus amphibiorum externis. Tactus quidem organon nudis amphibiis in cute lubrico muco illini-

tur,

tur, variis vſibus deſtinato. Inter emunctoria etiam cutis plerorumque amphibiorum referenda videtur, quod frequentius, quam vlla alia animantium genera, cuticulam ponant. Nonnullis olfactus ſatis acutus eſt. Nullis amphibiis pigmentum deeſt nigrum, quod internum obducit oculum. Chamaeleontis oculis hoc proprium eſt, quod non vtrumque iunctim in eundem axem componere cogatur, ſed eodem temporis momento ſingulos diuerſa plane directione movere poſſit. De ſenſibus internis parum compertum habemus. Somnus amphibiis vix vllis regularis et datis temporibus per nycthemerum rediens. Veternus hybernus noſtratibus ſane, et in vniuerſum forſſe omnibus communis: quando per totam hyemem calido hypocauſto detinentur, in huncce veterum ea non incidere; ſed vbi ſemel illi indulgere inceperint, inde non niſi cum vitae diſcrimine ſuſcitari. — *Naturales* functiones. Ciborum appetentia magis inordinata in animalibus frigidi ſanguinis, quam in calidis: in illis ſaepe voracitas ingens. Nullum amphibium cibos vere manducat. Deglutitio plerisque amphibiis lenta. Oeſophagus mirum quantum dilatabilis: ventriculus fere omnibus perexiguus: intestinalis tubus ſerpentibus breuiſſimus. Circa eorum nutritionem et hoc memorabile, quod oſſa ranarum et lacertarum puluere rubiae tinctorum ſaginatarum non potuerint roſaceo colore tingi. Reproductionis vis in quamplurimis amphibiorum generibus, maxime ex reptilium ordine, luculentiſſima. — Functiones denique *genitales*. Amphibiis maribus nonnullis externa nulla, aliis duplicia adſunt. Oeſtrus venereus vehementiſſimus. Omnia ouipara ſunt. Incrementi terminus multis pubertas, aliis vero aeuiternus. Vita quam plurimis longaeua. —

V. HENR. AVG. WRISBERGII *comment. de vteri* p. 101.
mox poſt partum naturalem refectione peracta non le- — 124.

thali, obſeruatione rariſſima illuſtrata, cum breui fundamentorum lethalitatis ſciagraphia, recitata d. 11. Septembr. CIↃIↃCCLXXXVI. Puerpera, tunc temporis XXIV. annos nata, primipara, d. v. Iun. CIↃIↃCCLXXXVI primis ad partum doloribus laborare incepit, et post elapſas horas ſeptem facillimo et maxime naturali partu puellam viuam beneque valentem in lucem edidit. Iam de ſoluendis et extrahendis ſecundinis ſollicita obſtetrix, tanto ardore et repetitis contractionibus puerperam deuexauit, vt tandem ingens carnis maſſa e pudendorum ſinu protraheretur, et aegrota ob cruciatuum ingentem magnitudinem in lipothymiam incideret, ſub qua obſtetrix hanc carneam maſſam cultro reſectam cum ſecundinis in amphoram coniecit, pauloque poſt humo commiſit. His peractis puerpera per duo dies ſine omni cura et medela ſibi naturaeque relinquebatur. Grauiſſima haemorrhagia aegrotam in animi deliquium coniecit tantum, vt mortuae ſpeciem prae ſe ferret; ſub hoc deliquio ingens ſanguinis profluxus ceſſauit. Accitus chirurgus inueniebat colorem faciei pallidiſſimum, demortuae perfecte ſimilem; extrema corporis, frontem, naſum, auriculas, manus pedesque frigida; vultum moribundae ſimilem, oculos turbidos toruosque et loquelam debiliſſimam; pulſum fere nullum, nec niſi in maioribus arteriis perceptibilem; reſpirationem breuem, exiguam; appetitum proſtratum. Cataplaſmata et acidum vitrioli dulcificatum adhibebantur, tam bono cum ſucceſſu, vt iam die altero pulſus et reſpiratio meliores eſſent, et calor naturalis redire inciperet. Excrementa tamen inſcia aegra adhuc eliminabantur. Cum abdomen et genitalia examinarentur caute, inuenit Cel. w. abdomen mirum in modum extenuatum et collapſum, in hypogaſtriis praecipue vacuitatem tactu deprehendendam; in genitalibus tactu explorata canalem vaginae copioſa materie molli, ex mucosa pure

pure, et aliquo ſanguine conſtante repletum, qua remo-
a et exemta digito altius penetrante notabilem adhuc
iatum verſus abdomen patentem tetigit. Quae cum
a ſe haberent, iuſſit Ill. w. aegram ſumma eſſe cor-
oris animique quiete, et inteſtinorum per hunc hia-
um deſcenſum ſpongia madefacta, atque in vaginam
mmiſſa, praecaueri; impuritates liquidorum e vaſis
ulneratis prouenientium iuſtis iniectionibus elimina-
, et febri antiphlogiſticis et gangraenam imminuen-
bus medicamentis occurri. Omnia meliorem aegro-
e ſtatum indicabant. Verſus d. XXVII. Iun., quo
m extra lectum durare poterat, decoctum corticis
eruuiani tenuioris, quo hucuſque cum acidis vti ſo-
a erat, cum fero lactis commutauit. Tandem in-
gra conualuit ita, vt et mariti amplexus poſſet
erferre, e quibus tamen illam, quam antea, volu-
atem neutiquam ſe amplius percipere faſſa eſt. —
de in corollariis, ab Ill. Auct. huic hiſtoriae ſubie-
is, contra vteri furorem haec vteri reſectio tentan-
proponitur. — Denique conditio reſecti vteri et
ſpiritu vini adſeruati accurate deſcribitur. — Alte-
huius commentationis ſectione de fundamentis et
uſis lethalitatis differitur, variaeque eius claſſes
onſtituuntur, quas nominaſſe ſaltem ſufficiat. Dedu-
ae ſunt illae 1. ex haemorrhagia incoërcibili; 2. ex
umorum corruptione; 3. e gangraena producta;
ex lethali in ſanguinis maſſa et humoribus reſolu-
one excitata; 5. e laeſione functionum vitalium.

Commentationes claſſis *mathematicae* ſunt hae:

I. ABRAH. GOTTH. KAESTNER *de corporibus po-* p. 1-29.
edris data lege irregularibus diſſ. II. „quilibet angulus
lidus continetur vno quadrati, pluribus trianguli
quilateri;“ praelect. d. XV. Ian. CIↃIↃCCLXXXV.

II. EIVSDEM diſſertatio tertia *de eodem argumento*, p. 30 –
hibita d. VIII. April. CIↃIↃCCLXXXVI. 74.

III. ALB. LVD. FR. MEISTERI *deſcriptio et exa-* p. 75 –
men 108.

men ſcalae pro reducendis ad horizontem angulis inclinatis, a TOB. MAYERO *continnatae;* recitata d. XVIII. Iun. CIↃIↃCCLXXXVI.

Commentationes claſſis *hiſtoricae et philologicae* ſunt hae:

p. 1-24. I. Illuſtr. CHR. G. HEYNII *religionum et ſacrorum cum furore peractorum origines et cauſae*, ad locum STRABONIS de Curetibus libr. X. recit. d. VI. Maii CIↃIↃCCLXXXVI.

p. 25 - 38. II. CHR. MEINERS *de anthropophagia eiusque diverſis cauſis*, recitat. d. X. Septembr. CIↃIↃCCLXXXV.

p. 39 - 67. III. LVD. TIM. SPITTLERI *hiſtoria critica chronici Euſebiani*, recitata d. XXIII. Dec. CIↃIↃCCLXXXV.

p. 68 - 84. IV. CHR. MEINERS commentatio I. *de humanis ſacrificiis*, recitata d. XXIII. Sept. CIↃIↃCCLXXXVI.

p. 85 - 121. V. IO. CHPH. GATTERERI *commentatio diplomatica, de methodo aetatis codicum manuſcriptorum dignoſcendae* c. VII. tabulis, praelecta d. XVIII. Nov. CIↃIↃCCLXXXVI.

VI. THOM. CHR. TYCHSEN *de numis hebraeo-ſamaritanis, ignotis characteribus inſcriptis*, recitata d. VIII. April. CIↃIↃCCLXXXVI.

Inter antiquiores huic ſocietati oblatas commentationes ſumma cum voluptate perlegimus

p. 1-32. I. Illuſtris ac Summi Viri, CHR. GOTTL. HEYNII *memoriam temporum mythicorum, a corruptelis nonnullis vindicatam*, recitat. d. X. Dec. CIↃIↃCCLXIII.

p. 33 - 46. II. EIVSDEM *commentationem de muſarum religione, eiusque originibus et cauſſis*, recitatam d. XV. Maii CIↃIↃCCLXVI.

De duobus, qui reliqui ſunt, tomis proxime ad lectores relaturi ſumus noſtros, vbi decimo, quo nondum ad manus eſt volumine fuerimus liberalitati huius eruditae ſocietatis potiti. Quam quidem liberalitatem ac beniuolentiam hucuſque nobis obtigiſſe grati hoc loco publice praedicamus.

XXIII.

IOHANN ADAM KVLMVS *anatomiſche Tabellen für Lehrlinge der Anatomie. Umgearbeitet und mit* XXVII *neuen Kupfertafeln verſehen von* KARL GOTTLOB KÜHN, *der Arzneywiſſenſchaft Doctorn und öffentlichem außerordentl. Lehrer zu Leipzig. Leipzig, bey Caſp. Fritſch.* 1789. 4. 1 *Alph.*

i. e.

IO. AD. KVLMI tabulae anatomicae, additis XXVII nouis iconibus iterato labore editae a CAROLO GOTTL. KÜHN.

Anatomicae IO. ADAMI KVLMI, minime indiligentis inciſoris, tabulae, Gedani primum 1722 germanice, et deinde ſaepiſſime editae, in latinam quoque linguam et in Gallicam verſae, quae noſtris adhuc temporibus vſibus tyronum, tam medicorum, quam chirurgicorum, creberrime adhiberi ſolebant, quum profectibus anatomicae ſcientiae, quos poſt annum MDCCXXII ſummos habuit, parum reſponderent, nec icones in quibusdam inprimis editionibus (exemplum lectoribus, praeter alias, editio praebebit Dreſdenſis ab anno 1725 in 8) naturae reſponderent, ſed rudiore Minerua eſſent et ſculptae, et expreſſae, nec expoſitio tabularum aenearum, poſt tanta anatomicae ſcientiae incrementa, placere noſtris temporibus poſſet amplius, noua hac editione huius compendii anatomici Cl. KÜHNIVS vtique de tyronibus optime promeruit. Retinuit ſcilicet Clmus editor, quem maiori iure auctorem operis nouum diceres, de Kulmiano opere praeter ordinem, quem tamen quoque multis modis mutauit, vt commodior et intellectu facilior liber euaderet, et tabularum formam, quae priuato ſtudio et repetitioni rerum auditarum viſarumue maxime idonea eſt, nihil. Forma, quam operi

maiorem dedit, ſpatium quoddam conceſſit, quo inprimis effectum eſt, vt figuris debita magnitudo eſſet, non vaſta nimis, neque nimis exilis, quae anatomen ſtudioſorum profectibus in antiquioribus editionibus inprimis moleſta erat ſaepeque efficiebat, vt partes humani corporis longe aliter tyrones ſibi fingerent atque cogitarent his ducti figuris, quam illas eſſe ipſa natura voluerat. Hinc Clmum KÜHNIVM figuras fere omnes reieciſſe a KVLMO receptas, earumque loco alias dediſſe ex ſummorum virorum, ALBINI, BIDLOO, CAMPERI, HALLERI, HASE, KÖLPINI, MASCAGNII, MAYERI, MORGAGNII, SANTORINI, SHELDONI, SCHVMLANSKY, WALTERI, ZINNII et aliorum operibus ſummopere probandum eſt: his enim melioribus et ad naturam magis expreſſis efficietur ſine dubio, vt, quod in KVLMI tabulis antiquioribus vix ſemper locum habebat, quae videant tyrones, intelligant quoque, harumque figurarum ope eorum, quae in cadaueribus forte viderant, commode recordentur.

Sed vt lectoribus idoneam magisque iuſtam rationem vtiliſſimi huius operis reddamus, per tabulas non quidem ſingulas, attamen per plures, diſcurrere expediet.

Tabulis fere ſingulis expoſitiones, eaeque ſubinde longiſſimae, additae ſunt. Prima inprimis tabula, qua generaliora de anatome, eius obiecto, partibus, adminiculis ad eam diſcendam et vtilitate proponuntur, copioſiſſimam illuſtrationem adiunctam habet, qua hiſtoria ſcriptorum praecipuorum, qui in anatomica ſcientia inclaruerunt, praemiſſa generaliori anatomes hiſtoria, exponitur: eamque operis partem, non ſine plurima lucubratione elaboratam, vtiliſſimam tyronibus, maioribus in primis atque pretioſioribus operibus carentibus, fore ſperamus. Vita enim ſinguli auctoris breuiſſimis enarrata, quid inprimis in anato-

anatome praeſtiterit, quos libros ſcripſerit, quaeque eorum editiones ſint optimae, oſtenditur. Celebriores anatomici copioſius enarrati ſunt, ANDREAE VESALII, GABR. FALLOPII, BARTH. EVSTACHII, CAMPERI, MECKELII, cet. exemplo. Hiſtoria quoque praeparationum anatomicarum cera effictarum expreſſarumque in expoſitione primae huius tabulae commode legitur.

Altera tabula corporis humani partes externae, p. 22.
quae viſui patent, omnes enarrantur, nominibus latinis, quod tyronibus inprimis vtile eſt, vbique additis. Si partes enarrantur, in quibus aliae continentur, eae ſimul diligenter enarrantur, quod inprimis in memorandis tribus cauis, quibus viſcera humani corporis continentur, factum eſt.

Tertia tabula integumenta corporis exponuntur. In explicatione diligenter enarrantur, quae de cuticulae natura, generatione, de reti mirabili Malpighiano, de pilorum, vnguium, cet. natura ab auctoribus dicta ſunt.

Quarta oſſa pertractantur, non tamen ita, vt per ſingula oſſa auctor Cl. tranſeat, ſed potius, vt, quae omnibus oſſibus communia ſunt, pertractet, modum, quo naſcantur, ſtructuram, formam, partes eorum varias, atque coniunctiones a laxiore vſque ad arctiſſimam. In copioſiore huius tabulae expoſitione plurima huc pertinentia leguntur, inprimis de generatione oſſium, eorum inuolucris, medulla, vnguineque, quo articulorum motus commodior faciliorque redditur.

Quinta vniuerſi ſceleti oſſa, a capite vſque ad calcem, latinis nominibus vbique adiectis, expoſita ſunt. Expoſitio huius tabulae ſingulorum oſſium figuram, ſitum, coniunctionem cum aliis breuiter deſcriptam continet: Sexta ligamenta, primum ſecundum nomina et locos tradita, dein copioſius deſcripta. Icones huc pertinentes ſimul expoſitae ſunt.

Septima vniuerſam muſculorum compagem enarrat, initio a capite facto. Latina nomina in ipſa tabula, quae addita non ſunt, in expoſitione leguntur, quae quum tabula ſola nomina Germanica contineat, praemiſſis iis, quae de muſculis generatim notanda ſunt, ſingulorum muſculorum origines, inſertionem et vtilitatem docet. Vaginarum tendinearum breuis deſcriptio adiecta eſt, nec non iconum, huc facientium, expoſitio.

Octaua vaſa humani corporis, et quidem et ſanguinea tam arterioſa, quam venoſa, et lymphatica, et haec quidem penitus ex Cl. CRVIKSHANKII hiſtoria et deſcriptione abſorbentium vaſorum, exponuntur. Expoſitio huic tabulae ipſi ſimul addita eſt, ſcilicet ſinguli vaſis, quoad origines ſuas, ſitum, partemque, in quam terminatur, deſcriptio. Nona glandulas comprehendit, qua et diuiſiones glandularum in ſimplices, ſolitarias, aggregatas, conglutinatas, conglobatas conglomeratasque exponuntur, et ipſae glandulae, deſcenſu a capite facto, deſcribuntur.

Decima tabula cerebro, vndecima neruis dicta eſt. Duodecima ſenſuum organa, quae in capite ſunt, deſcribuntur. Neruorum tantum praecipui enarrantur, reſpectu ad origines vbique habito et ad partes, ad quas decurrunt. Partibus, quae organa auditus, viſus, olfactus, guſtus efficiunt, deſcribendis plurimam curam Cl. Auctor impendit, figuris huc pertinentibus ſimul explicatis. Decima tertia tabula, quae in collo et pectoris cauo contenta ſunt, enarrantur, mammarum quoque ſimul ſtructura partibusque deſcriptis. Decima quarta abdominale cauum, et quae in eo contenta ſunt, exponuntur, et quidem peritonaei primum deſcriptione tradita, viſcerumque abdominalium diuiſione facta in ea, quae chylo praeparando inſeruiunt et peritonaeo incluſa ſunt, nec non in ea, quae vrinam ſecernunt et educunt, tandemque

in ea, quae generationi et excluſioni foetus inſeruiunt, primum ventriculus, deinde omentum, pancreas, lien, hepar inteſtinaque deſcribuntur, figuraeque huc facientes explicantur.

Decima quinta tabula, quae circa foetum notantur et ad diſcrimen inter hominem natum et naſcendum pertinent, expoſita ſunt.

Figuras aeneas, quas ex celeberrimorum anatomicorum operibus ſupra a nobis notatis fere omnes deſumſit Cl. KÜHNIVS, delineauit ſculpſitque Clmus FISCHERVS, in theatro anatomico Lipſienſi profector, qui quantum in hoc artificii genere valeat, iam compluribus operibus ab eo effectis probauerat, hocque probauit iterum. Rarum enim eſt, anatomicos in delineandi ad naturam artificio tantum pollere, vt neque chalcographus habeat, quid deſideret, neque qui figuris vti volunt, figuris aut perperam delineatis, aut minus fauente ſtylo effictis, ſeducantur. Vtrumque in his figuris locum habere nequit: tam ob conſilium iterato edendarum figurarum, quas alii iam tradiderant, quam ob earum auctorem, in anatomica ſcientia aeque, ac in delineandi ſculpendique artificio peritiſſimum. Facile enim etiam in probatiſſimorum anatomicorum operibus fieri potuit, vt, quum ſua auctor operis ipſius praeclare feciſſet omnia, minus bene delineator aut ſculptor ſua faceret: ſed ea omnia Cl. FISCHERVS corrigere, et vbi a naturae norma deflexerant, ad eam reducere potuit. Si quid in figuris deſiderari poſſit, hoc foret, quod Clmi Auctores, non vbique ſaltim, libros, ex quibus figuras transtulerunt, indicauerint.

XXIV.

D. CAROLI GEORG. THEOD. KORTVM, medici Tremonienſis, commentarius de vitio ſcrofuloſo, quique inde pendent morbis ſecundariis, qui nuper

nuper illuſtris ſocietatis regiae medicorum, quae Pariſiis eſt, plauſum tulit. Tomus ſecundus. Lemgouiae, in officina Meyeriana, MDCCXC. 8. 374 pagg. *).

Medicamenta ad ſcrofulas laudata interna nunc Cl. Auctor in ſecunda ſectione alterius partis enarrat, hoc habito propoſito et vbique obſeruato, vt illa quidem, quae efficaciam ſuam vimque validam comprobarunt, adeoque frequentius ad ſcrofularum morbos adhibentur, vberius enarret, neque tamen minus vſitata, obſoleta cet. plane praetermittat.

Sales praeſtantiſſimi quidem ob ſoluentem vim, attamen et debilitantes, relaxantes acrimoniamque augentes, vix in ſcrofulis adhibendi ſunt, niſi mitiſſimi, inprimis vbi acrimoniae ſymptomata vrgent, ſi vero pituita inſigni copia collecta eſt, commode, nec tamen nimis diu, adhibentur. Sal inprimis communis cum aqua ſolutus, aut, qui praeſtat, ſal marinus, aut marina aqua epota, ſcrofulis cum viſcido plurimo, non vero plurima lymphae acrimonia iunctis, praeclare ſubueniunt, vſus tamen, ob ſepticam ſalis vim, non nimis diu continuandus eſt. Si acidum, quod in pueris frequenter euenit, cum pituita iunctum eſt, ſal quidam alcalinus cum aqua, in qua amara quaedam medicina infuſa ſeu cocta ſit, ſolutus, egregiam opem fert. Alcali volatile cauſticum cum cortice Peruuiano mixtum in vlceribus ſcrofuloſis egregiam plane opem tulit. Sapo (ſi laxitas abeſt et humorum nimia ſolutio) ſcrofuloſorum pituitam egregie reſoluit, inprimis ſatis magna doſi, ad vnciam quotidie, ſi aegri eum ferunt, et cum gummi ammoniaco, medicamentis antimonialibus, cet. datus. Spongia vſta ab ARNALDO DE VILLA-NOVA primum ad ſtrumas

*) Primi tomi enarrationem dedimus in Comm. noſtror. Vol. XXXII. P. IV. pag. 607 ff.

ſtrumas curandas adhibita, in frigidis glandularum tumoribus efficaciſſima, ad cachexiam ſcrofuloſam curandam vix valet: valet vero, ſi poſt curatam ſcrofuloſam cachexiam, locales glandularum tumores et frigidi quidem, remanent. Lapides ſpongiarum vix multum virtutis ad ſtrumas habent. Fucus veſiculoſus vſtus et helminthochordos ob marinum ſalem, quem continent, ſcrofulis ſoluendis idonei ſunt.

Ad mercurii in ſcrofulis vſum inuitaſſe medicos videtur opinio partim de venerea ſcrofularum origine, partim vis, quae in mercurio ſumma eſt, anthelminthica. Profuiſſe admodum multi referunt, nil iuuiſſe, imo nocuiſſe, alii. Si dolor aegris non magnus eſt, ſi irritabilitas eorum non aucta eſt, ſi nulla partium inflammatio adeſt, neque tuberculorum pulmonalium exulceratio metuenda, commode dari poteſt. Quaedam etiam vlcera ſcrofuloſa tam irritabilia ſunt, vt mercurio ſemper deteriora reddantur, qui non propria atque ſpecifica vi, ſed ſola reſoluente atque euacuante ſcrofuloſis, vt in omni alio infarctuum genere, vtilis eſt. Si vero cum ſyphilide morbus complicatus eſt, ſi ſcrofulae infantum meſentericae adſunt hecticaque febris cum inflammatione abeſt; ſi frigidi tumores glandularum adſunt, nec non vlcera non nimia irritabilitate praedita, commode mercurius datur: mercurius vero ſublimatus corroſiuus in ſcrofulis vel cum leuiſſima inflammatione iunctis ſemper nocet. p. 26.

Antimonium, validiſſima reſoluens, aperiensque medicina, ad lymphae morbos toties celebrata, et crudum, et in praeparatis, tam ſulphureis, quam regulinis, ſummam ad ſcrophulas efficaciam praeſtitit, vt adeo mirandum ſit CVLLENII effatum, qui nunquam ad ſcrofuloſos morbos proficuum id fuiſſe dixerit. Augere antimonialia debilitatem, hinc augere potius, quam tollere, ſcrofularum praediſponentem cauſam, negari p. 42.

negari non poteſt: eximie tamen quadrant, inprimis roborantibus interpoſitis, vbi viſcidi infarctus eminent, vbi acrimonia potiſſimum vrget, nec tamen ſtatus hecticus, vel ſingularis corporis irritabilitas obſeruatur. Sulphur commune et ſulphuris hepar ad morbos ſcrofuloſos cutaneos frequentius, quam hactenus adhiberi conſueuit, adhibendum eſt.

p. 55. Cicuta, efficaciſſima ad chronicos morbos medicina, magni in ſcrofulis aeſtimanda eſt, etſi non in omni caſu efficacem ſe praeſtiterit. Non danda aegris eſt, quorum nerui vel a minima doſi laeduntur. Ad frigidos glandularum infarctus inprimis valet, minus ad ſcrofuloſa vlcera, et vbi acrimoniae ſymptomata potiſſimum vrgent. Digitalis purpureae, ſumme ſoluentis atque diureticae medicinae, vires in ſcrofulis experiri vlterius operae pretium eſt, aut eam aliis antiſcrofuloſis medicinis miſcere, quum non raro ſcrofuloſum morbum pertinaciſſimum ſuſtulerit. Rorismarini foliorum recentium infuſio, quam egenis Noſter aliquoties praecepit, ſcrofulam meſentericam efficaciter ſuſtulit, per aliquot menſes continuata. Multum quoque virtutis ad hunc morbum tuſſilaginis herbae ineſt, praeſertim pectore ſimul affecto: et tuſſilago petaſites, ob aromaticum principium; forſan magis prodeſſet. Viola tricolor ſiccata et infuſa ſcrofulas efficaciſſime et celerrime ſanauit: harumque vegetabilium medicinarum ſucci infuſionesque cum aliis efficacioribus, antimonialibus, mercurialibus, cet. commode iunguntur. Vires quoque ad ſcrofulas haud ſpernendas herbae antiſcorbuticae, ſucci et extracta herbarum reſoluentium amara, omnia, poſſident.

p. 76. Calcis viuae aqua ob antacidam atque ſoluentem vim in ſcrofulis valde proficua, non danda eſt in ſtatu febrili, in procliuitate corporis ad haemorrhagias, porro vbi valde emaciatum et exſiccatum corpus eſt, vel perfecta adeo iam atrophia obtinet. Ad vlcera

ſcrofu-

ſcrofuloſa, laxa corpora occupantia, ſananda inprimis conferre videtur, nec non ad adiuuandam vim aliorum medicamentorum antiſcrofuloſorum. Minerales aquae ſoteriae ex quocunque fere genere ad ſcrofulas valuerunt; nihil tamen quoque valuiſſe, exempla docent. Mineralia bálnea ſalina, ſulfurea, martialia, artificio parata, nec non naturalia multum fere ſemper vſum praeſtiterunt. — Ononis ſpinoſa ſcrofulis ſubinde ſubueniſſe fertur: dulcamaram multi vtilem experti ſunt. Quernarum glandium toſtarum infuſioni Germanis adeo decantatae, fidem vix plurimam Noſter adhibet, nimis ſcilicet ſtringenti (hanc tamen vim toſtione perire SCHROEDERVS docuit). Plus virtutis rubiae tinctorum radix promittit. Vtiliſſimae quoque ſunt ptiſanae herbarum et radicum reſoluentium atque demulcentium, ſub vſu medicinarum efficaciorum aliarum nunquam omittendae. — Millepedes, ex quibus ſuccus preſſus dandus eſt, vix pertinaci ſcrofularum morbo ſatis pares ſunt. Cantharidum internus vſus quid praeſtet, non ſatis adhuc conſtat. Viperis, lacertis, efficaciam plurimam eſſe ad morbos cutaneos et cum acrimonia, recentiorum obſeruata extra omne dubium poſuerunt.

Nunc in hoc primo de reſoluentibus capite alia p. 89.
quoque medicamenta enarrantur ad ſcrofulas ab auctoribus adhibita, cum ipſis auctorum teſtimoniis, aconitum, clematis vitalba, vlmi interior cortex, nicotianae infuſio, aſtragali exſcapi radix, abietis turiones, rhus radicans, euella acaulis, lamium album, valeriana ſylueſtris, cotula foetida, cortex Winteranus, ſemen phellandrii, gratiola, arnica, xanthium ſtrumarium, hedera arborea, gladiolus luteus, radix cynogloſſi, belladonna, pulſatilla nigricans, gummata ferulacea, pilulae viſcerales Kaempfii, rhabarbarum, pulvis antihecticus et antirhachiticus infantum Fordyce, ſquilla, camphora, fuligo ſplendida, lignum, gummi guaiaci,

guaiaci, aqua picis, aër fixus, ſuccus aurantiorum dulcium et amarorum, opium, ſcrofulariae vulgaris radix, ſcrofulariae aquaticae folia, cortices capparidis, radices vincetoxici, ens Veneris Boylei, veratrum album, bufones.

p. 101. Alterum caput ſectionis II. *euacuantia* ad ſcrofulas adhiberi ſolita complectitur. Medicamentorum hactenus enumeratorum reſoluentium nullum ſpecificam ad ſcrofulas vim habet: omnia ad ſummam euacuantium claſſem referri poſſunt, aut enim eluunt acria humoribus inhaerentia, aut ſoluunt tenacia eaque educunt, aut materiam ſtagnantem eliquant, vt per corporis ipſius vires educi poſſit, vel roborando vaſorum vim augent, vt ſubigere materiam et educere ipſa poſſint. Hinc quoque antiſcrofuloſis medicamentis omnibus euacuantia commode interponuntur. Euacuationis vero in ſcrofulis vſus multiplex eſt. Curationis principium ſemper ab ea eſſe debet. Eadem aliis medicamentis interponenda ſunt, quo, quae mobilia facta ſunt, educantur. Ipſe quoque motus retrogradus, quem euacuantia vaſis lymphaticis, inprimis meſenterii, conciliant, efficit, vt lympha maiore vi ad loca obſtructa concitata, ipſa euacuantia plurimum ad impactorum ſolutionem conferant. Sed in purgantibus delectus quidam eſſe debet. Rhabarbarum omnium (inflammatione nempe abſente) praeſtantiſſimum eſt. In pituitoſis Noſter ialappam cum mercurio dulci dedit. Quibus inflammatio non eſt, neque venter nimis diſtentus, his vomitoria antimonialia, ſaepius repetita ob euacuationem, minus tamen ob eam quam ob concuſſionem et ab ea exſpectandam reſolutionem infarctorum, ſummopere proſunt. Cum vrina impuritates humorum lymphaticorum quum eluantur commodiſſime, in curatione affectuum ſcrofuloſorum ſemper ad diureſin reſpiciendum eſt: ſi acrimoniae ſymptomata ſcrofuloſis mani-

manifesta sunt, medela vrina libere fluente eximie iuuatur, et quo crassius, foetidius, nubeculis ac sedimento abundantius post datas medicinas euacuantes lotium est, eo certior felicis sanationis spes affulget.

Minuto morbo per medicamenta hactenus dicta, ne recidat, per *roborantia* cauendum est, eaque capite huius sectionis tertio exponuntur. Haec primum resoluentibus iungenda, deinde sola danda sunt. Corticis Peruuiani vsus, quem FOTHERGILLIVS ad scrofularum morbum maxime commendauit, acidum domat, primarum viarum energiam instaurat, vermes necat, vim vasorum auget, solidi viui reactionem fortiorem reddit, adeoque scrofulosis summe conuenit, neque nocebit, nisi in profectiore malo glandulis pertinaciter infarctis: conducet porro summopere in externis scrofulosorum vlceribus, praesertim parum dolentibus et cum corporis debilitate coniunctis, vltimam denique curationis lineam semper docet. Martialia quoque, eodem modo, quo cortex Peruuianus et iuuantia, et nocentia, huc pertinent. p. 113.

Capite IV. *remedia quaedam antichoeradica composita* enarrantur, *quae diuersis indicationibus simul respondent.* Primum de pulueribus contra strumas sermo est, deinde de aliis remediis contra scrofulas a Clmis viris FAVRE, DOVERO, MARECHAL DE ROUGERES, LALOUETTE, JANIN, STRUVE, KAEMPF, commendatis, suarum denique medicinarum ad scrofulas formulas, probabiles vtique atque efficaces, Noster subnectit. p. 127.

Tertia Sectio *medelam scrofularum externam* exponit, primumque caput *externa vniuersaliora.* Sunt nempe externa remedia aut talia, quae in vniuersum corpus agant, aut tantum in eius loca quaedam. Ad priora praesertim balnea pertinent. Frigida balnea Noster improbat promiscue adhibita: si vi solidis reddita morbum superari posse a natura sperari potest, p. 143.

adhibenda ſunt, ſi contra, tepidis potius vtendum e generatim a tepidioribus ſenſim ad frigidiora procedendum eſt. Frigida praeſeruandis pueris a ſcrofula efficaciſſima ſunt, in curandis vero morbis cutaneis ſcrofuloſis non adhibenda ſunt, qui iis ſaepius repelli ſolent. Tepida ſemper conueniunt, ſi reſoluens indicatio obtinet. Sicca balnea, quibus pueri ſoli exponuntur, aut herbis aromaticis cubili ſubſtratis incubant, vtilitatis, ad roborandum, plena ſunt. Electricitas, ſi frigidum et parum irritabile corpus ſcrofuloſum eſt, ſummopere conducit mouendo infarcta, ad laudabilem ſuppurationem glandulas perducendo et vlcerum malignitatem emendando. Frictiones quum perſpirationi promouendae tantopere inſeruiant, non negligendae ſunt, aut ſimplices, cum aſpero lineo panno, aut cum panno eiusdem generis, fumo reſinarum impraegnato. Vnguenta quoque emollientia, reſoluentia, varia abdomini inducenda commendantur, multumque ad roborandum valet cingulum abdomini aptatum, quod puluere quernorum corticum farctum ſit. Viſcerales clyſteres pueris quidem vtiliſſimi, iis vero tam frequenter, quam KAEMPFIVS vult, applicari nequeunt. Vlceribus artificialibus ad morbos cutaneos atque locales ſcrofuloſos omnes ſumma vis eſt.

p. 160. Caput alterum *de topica tumorum vlcerumque ſcrofuloſorum medela* agit. Primum monendum eſt, remedia adhiberi externa ad tumores non debere, niſi valde indurati ſint et internis medicamentis non cedant, vel ſi interna cachexia ſublata, externa haec mala pertinaciter ſupermanent. Tunc aut tumor diſcutiendus, aut per ſuppurationem conſumendus, aut exſtirpandus eſt. Curatio externa abſque interna ſemper aut vana, aut nociua eſt; neque repulſae materiae ad nobiliores partes, aut induratae in externis poſt talia medicamenta exempla deſunt. Et licet veteres ad

ſtruman

ſtrumam ſcrofulasque plurima externa paucaque interna medicamenta adhibuerint, tamen omnibus medicis recentioribus obſeruantibus curatio non ſuccedit per externas medicinas, niſi ſcrofuloſa cachexia iam emendata. Medicamentorum externorum numerus infinitus paene eſt. Alia ſoluentia ſunt, ex ſale communi ſoluto, ſapone, cet. parata. Mercurialia ſuadent alii, alii cicutam, dulcamaram, petroſelinum, alii vaporationem, alii fumigationem, oleum animale Dippelii, ſaturnina medicamenta emplaſtraque plurima, alii conſtringentia: veterum quoque medicamenta antiſcrofuloſa doctiſſimus auctor copioſe enarrat, in quibus quidem vſum, attamen efficaciam vix deſideraueris.

Non ſtatim, ſi vna alteraue glandula leuiter in- p. 182.
flammatur doletue, de ſuppuratione illius concitanda cogitandum eſt: methodo enim ſoluente interna, et diſcutiente externa debite adminiſtratis tumor ſaepe reſoluitur. Si vero plures glandulae afficiuntur et valida inflammatio eſt, repellendus ſcrofularum tumor non eſt, inprimis quum in puberibus earum ſuppuratio ſaepe morbo toti finem imponat. Si vero ad ſuppurationem perducendi tumores ſunt, maturatio eorum iuſta et optima eſſe debet prius quam incidantur. Solitarius vero ſi tumor eſt et cultro opportunus, exſtirpatio illius magis commoda eſt. Si ad ſuppurationem vergit, exſpectandum eſt, donec ipſa natura ſola adiuuante pus profluat. In ipſis vero vlceribus cuncta, quae laxant atque debilitant, damnanda, quae vero roborant et in exanimi margine vlceris vitam quaſi excitant, proficua ſunt. Reſoluentia cum irritatione quadam, non neglecta ſimul interna, eaque commoda medela, optime conducunt. Impura vlcera atque ſordida mercurius praecipitatus ruber optime emendat. Dolentium dolorem ſaturnina tollunt: eaque cum diſcutientibus vicinis quoque partibus, ſi

tument dolentue, applicanda ſunt, non enim glandulae vicinae tantum, ſed etiam ipſa tela celluloſa ab vlcere ſcrofuloſo tumet. Relapſum tumorum ſcrofuloſorum fonticuli arcent. Potentiale cauterium tumori tollendo nunquam inſeruit, magis actuale, ſi locus et ipſe tumor idoneus eſt. Strumae iuguli, tumores glandulae thyroideae ſemper non ſine plurima difficultate exſcinduntur, et ob neruos laeſos, et ob ſectas arterias. Neque facile fit, vt omnis glandula indurata reſcindatur.

p. 213. Sectio IV. *de praeſidiis diaeteticis ad ſcrofularum medelam, nec non de ſcrofularum prophylaxi.* Magna puerorum ſcrofuloſorum voracitas curationem ipſius morbi vix procedere ſinit, hinc acido deleto, ſaburra expulſa, ipſis infarctibus liquatis et antimonialibus medicinis, ad nauſeam leuiorem vſque datis, minuenda eſt. Victus tenuis, vegetabilis, et leuior animalis, farinaceus eſſe debet. Lac infarctus pituitoſos augere adeoque curationi obeſſe videtur: ſi vero per internam acrimoniam et exulcerationem hectica febris nata eſt, lactis vſus multum prodeſt.

Diſpoſitio in pueris haereditate accepta ad ſcrofulas difficulter minuitur. Summa tamen mundities, crebra corporis a ſordibus per lotionem purgatio, balneorum praeſertim frigidorum vſus ex aqua, ſi fieri poteſt, marina, ſordium et meconii debita expurgatio, aëris ſumma puritas, (et quod ſaepe vidimus, ſiccitas,) veſtimenta tenuiora, nec arcte corpori adpreſſa, alimenta leuia, farinacea, ex pane biscocto cum cocta aqua temperato, rel. frigus capiti admiſſum, corporis exercitatio continua, pro ipſo puerorum deſiderio inſtituta, multum ad diſpoſitionem hanc minuendam, imo tollendam, conferunt. Curatio ſcrofuloſi morbi vere melius, quam hyeme aut autumno ſuccedit, imo hoc anni tempore curatorum corpori per roborantia medicamenta proſpiciendum eſt.

Tertia

Tertia operis pars *affectus ſcrofuloſos ſecundarios* p. 243.
comprehendit. Sedent inprimis aut in glandulosis partibus, aut in ipſis glandulis. Hinc pulmones, meſenterium, oculos, mammas, capillatam capitis partem, cutem, occupant, non raro articulos quoque. Diſtinguendi vero ſunt in originales, per ſe, ex totius corporis cachexia natos, et in tralatitios. Et ipſa diſpoſitio ſingularis partis ſcrofuloſam materiem recipiendi haereditaria eſt. Mala omnium morborum ſcrofuloſorum ſecundariorum prognoſis eſt, minus tamen ſi ex recenti cachexia ſcrofuloſa nati ſunt. Hinc vbique principiis obſtandum et cauendum eſt, ne per cachexiam morbi ſcrofuloſi ſecundarii naſcantur.

Phthiſis ſcrofuloſa, frequentiſſimum morbi genus, a tuberculis pulmonum ſcrofuloſis nata, quae copioſe deſcribuntur, in tria ſtadia diuidenda eſt, cruditatis ſcilicet, inflammationis et exulcerationis. Cruda ſubinde tubercula difficillime cognoſcuntur: leuis tamen ſpiritus difficultas, tuſſicula rara, ſicca, quae dilatatis pulmonibus accidit, ſuſpicionem eorum mouent. Si cum his dolor aut leuior atque repetens in pectore punctura iuncta eſt, ſi catarrhorum ſimul eſt frequentia, voxque clangoſa et quaſi caſtratorum exilis, quae a glandulis bronchialibus affectis naſcitur, tunc talia tubercula ſubeſſe fere certo concludere licet. Ingraveſcente morbo haec omnia augentur: accedit difficilis in alterum latus decubitus, aliqua corporis extenuatio. Inflammatio tuberculorum catarrhum fere ſimulat cum lenta et vere inflammatoria febre: ſputa ſenſim, ſuppurato vno alteroue tuberculo, purulenta ſunt, ipſaque tuberculorum materies ſingulari pollet acrimonia, vlcerum conſolidationem impediente. Et haec quidem tubercula a ſcrofulis frequentiſſime naſcuntur, vt adeo medici probatiſſimi optime monuerint, ſcrofulis nullam phthiſeos pulmonalis cauſam fre-

quentiorem esse. Signa huius phthiseos sunt praeter scrofulosam cachexiam, decursus morbi tardissimus, lentum incrementum leuissimaque febris, neque magna corporis extenuatio. Pus malum, quod suppurati nodi exhibent, quoque ad huius phthiseos signa pertinet. Origo phthiseos pulmonalis scrofulosae Nostro triplex esse videtur. Aut enim nascitur a tuberculis in pulmonibus residuis a scrofuloso morbo, quo aeger in pueritia fuerat affectus, aut nascitur a materia scrofulosa, quae externas glandulas occupauerat, inconsulto retropressa et in pulmones delapsa, aut tandem a materia scrofulosa, quae externas partes exulcerauerat, ad internas delata. Neque omnes ex scrofulis phthisici pulmonum suppuratione pereunt, sunt quos hectica febris absque suppuratione quoque consumat. Haereditaria in Gallia et Anglia frequenter est, in nostris regionibus multi quoque per haereditatem phthisici sunt, quibus nulla scrofulosae cachexiae symptomata fuerant.

Curatio tutior prophylactica est, quae in eo consistit, vt ortus tuberculorum pulmonalium in scrofulosis caueatur. Reliquae indicationes curatiuae sunt, vt tubercula nondum inflammata resoluantur, vt inflammatio caueatur, vel orta abigatur. Palliatiua tuberculorum curatio est, si inflammatio cauetur, vel nata abigitur: radicalis est, si ipsa tubercula resoluuntur. Dulcamara atque tussilaginis succus prae aliis medicamentis ad resolutionem efficacissimam virtutem habent.

Rhachiticis frequenter nodi in pulmonibus sunt, etiam ob pectus per ossium a mollitie distorsionem praeter naturam angustatum. De hac copiosius agitur

p. 292. Capite II. *de morbis ossium atque articulorum scrofulosis*. Cachexia scrofulosa ventositati spinae saepe ansam dat. Ossis in hac corruptionem ab ipsa medulla incipere atque versus superficiem progredi, in

paedar-

paedarthrocace vero exulcerationem a ſuperficie ad interiores partes progredi auctores docent. Noſter ſpinam ventoſam et paedarthrocacen per oſſium, praeeipue ſpongioſorum et minorum, ſaepe tamen etiam maiorum, ad articulos potiſſimum et epiphyſes inflationem, cum carie iunctam, ſaepe, non tamen ſemper, dolorificam, vlcera partium mollium foeda ſibi aſſociantem, difficillime ſanabilem et a cauſa ſcrofuloſa vel rachitica profectam definit. Vtramque autem hanc acrimoniam, rachiticam ſcilicet atque ſcrofuloſam, ſolam hos morbos inducere, partim grauiſſimorum auctorum teſtimonia docent, partim ipſius morbi obſeruatio. Neque alias acrimonias eum vnquam induxiſſe compertum eſt, et ſi poſt variolas et morbillos paedarthrocace homines inuadit, eos vitio ſcrofuloſo ante hos morbos iam laboraſſe ſciendum eſt.

Diagnoſis huius mali in primis initiis ſuis, vbi curationem adhuc admittit, difficillima eſt. Scrofuloſi peioris vitii in corpore praeſentia, vel rhachiticae labis latentis, diſpoſitio ad paedarthrocacen haereditaria, localis in intimo oſſe dolor erodens atque moleſtiſſimus a calore et motu auctus lucem quandam adfundunt. Si ipſa ſubſtantia oſſis in tumorem eleuata eſt, malum quidem facile cognoſcitur, ſed difficilius quoque curatur. In curatione inprimis ad ſcrofuloſum vel rhachiticum mali characterem reſpiciendum eſt, neque ſalus ſperanda, niſi hoc deleto. Externe ad reſoluendum tumorem nondum ſuppuratum inprimis folia chelidonii maioris recentia cum caulibus impoſita conducunt, contuſa, frigida applicata, vſu eorum per annum quotidie continuato. Lamellae tumoris ſenſim decidunt, ſquamularum forma, tandemque tumor plane reſoluitur, integritate ipſi oſſi reſtituta. Hanc curationem Ill. LEIDENFROST, medicinae in vniuerſitate Duisburgenſi profeſſor, in diſſertatione ſua de chelidonio, Duisburgi 1786 primus propoſuit

vtilemque eam in paedarthrocace tam clauſa, quam aperta, Cl. Noſter ſaepius expertus eſt: fuere tamen quoque caſus, vbi nihil auxilii attulit.

p. 328. Tumores albi articulorum ſcrofuloſi ex cachexia ſcrofuloſa ſimul praeſente, ex humoris ipſius natura quae per longum tempus indolens eſt, ex dolore in parte tumida tantum praeſente, ex eodem, ingraueſcente tumore, ſenſim minuto, et ex ipſa tumoris ſede, quae in extremis oſſibus eſt, quaeque efficit, vt oſſa mox vitientur et carie exedantur, cognoſcuntur. Rarior in Germania eſt, aegrique nata in oſſe ipſo ſpina ventoſa obeunt. In amputatione affecti articuli, ſi hectica febris abeſt, fere vnicum praeſidium eſt. Interdum ſcrofuloſi tumores in ſola celluloſa externa haerent, qui per roborantia et diſcutientia medicamenta facile curantur. Interdum glandulae lymphaticae, articulis circumpoſitae tumorem faciunt. Non raro quoque ſcrofuloſa caries vertebras occupat. In Batauis terris et ad Rhenum inferiorem ſitis hominibus ſenſim inareſcit cartilago interarticularis, tum condylum maxillae inferioris ab oſſe petroſo ſeiungit.

p. 338. Capite tertio *oculorum morbi ſcrofuloſi* enarrantur. Ophthalmia, quae ſemper diuturna et humida eſt, duplici modo inuadit, aut glandulis lacrymalibus ab acrimonia ſcrofuloſa peculiari modo affectis, aut morbo potiſſimum in Meibomianis glandulis reſidente. Praeter medendi methodum generalem, cachexiae ſcrofuloſae opponendam, veſicatoria, quibus vlcus dies fluens concitandum eſt, optime conducunt. Meibomii glandulis affectis optime vnguentum ex mercurio praecipitato rubro et butyro ſubuenit. Ectropium, hordeolum, lacrymalis fiſtula, corneae maculae et obſcurationes, vlcera corneae, ſaepiſſime cauſam ſcrofuloſam habent. Cataracta atque amauroſis a ſcrofuloſa materia ſaepius pendent.

Caput IV. *de ſcabie capitis variae et aliis quibusdam ſcrofuloſis affectibus.* Diſtinctione tradita inter achores,

res, fauum, ſcabiem capitis ficoſam et tineam lupinam, docetur hos morbos indole omnes vnos eſſe, ab vna nempe ſcrofuloſa materia pendentes. Et quidem partim a vera cachexia ſcrofuloſa oriuntur, partim ex cachexia ſemiſcrofuloſa, per immunditiem et neglectum contracta et locali tantum. Vtraque ſcabies exſiccari temere vix patitur.

Ex his, quae hactenus tradita ſunt, perſpicient lectores noſtri, opus de ſcrofuloſo vitio hoc eſſe conſummatiſſimum, quod partim aliorum obſeruata paene omnia contineat optime digeſta atque ordinata: partim vero et experimenti proprii copiam inſignem, vt adeo omnibus, qui de diro hoc morbi genere ſcripti hactenus ſunt, libris hoc nobiliſſimum opus atque ſumma cura elaboratum merito praeferendum ſit. Eique etſi praemium non dederunt Pariſini medici, haec praeſtantiae palma prae omnibus aliis huius generis libris danda eſt.

XXV.

Regimen ſanitatis Salerni, ſiue ſcholae Salernitanae de conſeruanda bona valetudine praecepta. Edidit ſtudii medici Salernitani hiſtoria praemiſſa IOANN. CHRIST. GOTTL. ACKERMANN, M. D. et in literarum vniuerſitate Altorfina profeſſor. Stendaliae, ſumtibus Franzii et Groſſe, MDCCXC. 8. 178 pagg.

Quae initia progreſſusque medicinale ſtudium in antiquiſſima ciuitate Salernitana habuerit, quis ſtatus illius quaeque fortuna fuerit ab antiquiſſimis temporibus, ſcire intereſt: antiquiſſimum enim eſt medicinale ſtudium in Salernitana medicorum ſchola, multique viri ſunt ſumma laude praeſtantes, qui medicinam aut in ea docuerint, aut didicerint, CONSTANTINVS AFRICANVS, NICOLAVS PRAEPOSITVS, IO-

ANNES PLATEARIVS, IOANNES DE MEDIOLANO, ARNALDVS DE VILLA NOVA, LANFRANCVS, cet. Germania, Gallia, reliquae Europae partes, imo Asia Africaque medicos non paucos ex Salernitana schola habuit, erantque Salerni medicinae magistri, qui Hebraica lingua Iudaeos, et Arabica Saracenos docerent.

Historia studii medici Salernitani, quam primum Noster exhibet, in tres partes diuisa est. Primum docetur, quam formam quamque fortunam ante CONSTANTINVM AFRICANVM, vsque ad dimidium saeculi XI partem schola Salernitana habuerit, deinde quid CONSTANTINVS, qui anno MLXXXVII fatis functus est, ad famam illius augendam contulerit, tandem quomodo post excessum CONSTANTINI ad saeculum vsque XVII floruerit.

p. 5. Romanorum colonia Salernitanae vrbi primas origines dedit. Anno V. C. DCX colonia LVI ciuium Romanorum Salernum deducta est. Loci opportunitas, soli foecunditas, aëris salubritas, inprimis vero Tyrrheni maris vicinitas effecit, vt ciuium in eis numerus valde augeretur. A Romanis imperium Salerni ad Visigothos, HONORIO imperante, peruenit, postea ad Ostrogothos, iisque a BELISARIO depulsis, ad IVSTINIANVM imperatorem. Exarchos deinde dominos habuit, postea Langobardos communesque omnes reliquae Italiae calamitates passum est. Octauo saeculo sors eius admodum iniqua fuit, quum ab HEREMPERTO conditum hoc tempore dicatur, saltim aduersus hostium insultus in modum tutissimi castri munitum.

Mox Saraceni, impetu facto in inferiorem Italiam, terras Salernitanas occuparunt, vrbem ipsam num ceperint, incertum est. Vltimum ex Langobardorum gente Salernitanum principem, GISVLFVM SECVNDVM, ROBERTVS GVISCARDVS, Normannus, ipsa vrbe capta, expulit, eoque modo imperium Salerni

ad

ad Normannos peruenit. Tandem his principatum tenentibus, ROGERIO, Siciliae comite, imperante, anno MCXXX principatus Salernitanus ad Neapolitanos reges peruenit.

Florentes literas Italia et Salernum his temporibus habere non potuit. Omnis medicina, ſiue medicamentorum ſcientia (alia enim medicina omnis ignorabatur) penes clericos erat. Antiquiſſimum eſt in monte Caſinenſi monaſterium ab ipſo monachorum per occidentem patre, S. BENEDICTO fundatum. Erat huic coenobio inſtitutum, ab ipſo BENEDICTO ſine dubio profectum, quo iubebantur monachi, ad auctoris ſui regulam in Caſino monte viuentes, vt literarum ſtudiis operam darent, omnesque praeclaras diſciplinas diſcerent. Ipſa adeo ſcholaſtica theologia ſecundum Ariſtotelicae philoſophiae principia enodata prima ſua initia in hoc monaſterio habuit.

Attamen literis his temporibus vix magna fortuna erat, melior tamen in Italia, in quam Saraceni ARISTOTELIS philoſophiam et HIPPOCRATIS ac GALENI medicinam cum aliis ſcientiis detulerant. Erant quoque maritimis Italiae inferioris vrbibus mercaturae negotia cum Graecis, ipſique Graeci per fatis longum tempus Italiae partem plurimam tenebant: hincque non iniuſte concluditur, cultum quendam ingenii et ſcientiarum ab his gentibus ad Italos continuo defluxiſſe, neque Italos omnem ſcientiam a Saracenis accepiſſe, ſed ſcientiarum a Graecis acceptarum in Italia veſtigia multa fuiſſe. Medicina quoque, cui montis Caſinenſis monachi inprimis indulſere, Graecorum fuiſſe videtur, non Saracenorum, omnesque, qui ſtudioſe enarrantur a Noſtro, monachi Caſinenſes, qui ante CONSTANTINVM floruerunt, medicinam Graecanicam non Arabicam, coluerunt. Hisque monachis, ob locorum vicinitatem, commercium plurimum cum Salernitanis fuit.

Medi-

p. 23. Medicinale ſtudium in Salernitana vrbe antiquiſſimum fuit. Vrbs ab antiquis inde temporibus *quiſſimae Hippocraticae ciuitatis* nomen habuit: extere quoque ante CONSTANTINI tempora Salerni medici probatiſſimi, ad quos aegri e longinquo confluerent; ſchola tamen medicorum num ante CONSTANTINI tempora in hac vrbe fuerit, incertum eſt, deeſtque probatio adſerentibus, Salernitanam ſchola a CAROLO MAGNO eſſe fundatam. Primam originem medicinae Salernitanae celebriori perſecutio Chriſtianorum, quae auctoribus DIOCLETIANO et MAXIMIANO facta eſt, dediſſe videtur. Archelais, nobiliſſima virgo in hac perſecutione occiſa corpusque eius Salerni conditum eſt, quod omnes miraculis ſuis curare dicebatur. Eoque modo effectum forſan eſt, vt, cum miraculoſae curationis gratia multi aegrotantes Salernum venirent, ad eandem vrbem quoque plures medici confluerent. Fuiſſe longo ante CONSTANTINVM tempore Salerni medicos, ad quos peregrini corporis curandi gratia ſe conferrent, teſtimonia ſibi dignissima probant, et ORDERICVS VITALIS, qui hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam ad annum vſque MCXLI perduxit expreſſe memorat, in vrbe Pſalernitana, quam vocat, ſcholas medicorum maximas *ab antiquo tempore* eſſe habitas. Et his quidem temporibus medicinam doctores ad HIPPOCRATIS et GALENI placita tradiderunt.

p. 35. Auxit poſt mediam ſaeculi XI partem elapſam ſcholae Salernitanae famam ſummopere CONSTANTINVS, Carthagine oriundus, indeque Africanus dictus. Vocatus a ROBERTO GVISCARDO, Salernitano principe, Salernum venit, poſtea vitam monaſticam in monte Caſino amplexus eſt, ibique vertendis in latinam linguam operibus Graecorum et Arabum dedit operam tanta gloria, vt orientis atque occidentis doctor, alterque Hippocrates appellaretur. Verſionum ab

ab eo profectae ad primas referendae ſunt, quae ad noſtra tempora peruenerunt.

Gloriam ſtudii Salernitani auxiſſe CONSTANTINVM, omnes ſcriptores referunt, quid vero ad illam augendam effecerit, incertum eſt: a ſuis temporibus adeo vſque ad initia ſaeculi XII celebris medicus non occurrit, qui Salerni medicinam aut didicerit, aut doquerit. GARIOPONTVS num Salerni fuerit, incertum eſt. Venenorum et lethiferarum potionum ſcientiam Salernitanos his temporibus ſummopere coluiſſe, ORDERICVS VITALIS probat. Et his quoque temporibus regimen ſanitatis Salernitanum ſcriptum eſt, ſique auctorem habuit IOANNEM, CONSTANTINI diſcipulum, non longo poſt ipſum Conſtantinum tempore concinnatum eſt.

Anno MCXL ROGERIVS, Siciliae rex, legem de probabili experientia medicorum dedit, qua nemini mederi morbis licebat, niſi ſe officialibus et iudicibus regis praeſentaſſet ab iisque fuiſſet examinatus probatusque. Imperitia medicorum huic legi anſam dedit, indeque liquet, ſtudium diſcentium, forte quoque et docentium, his temporibus vix magnum Salerni fuiſſe. AEGIDIVS quoque CORBOLIENSIS, ſaeculi XII ſcriptor, qui ipſe Salerni medicinae ſtuduit, medicinae Salernitanae ſtatum, qualis ſuo tempore erat, non laudat taxatque inprimis Salernitanos medicinae magiſtros, quod nullo facto diſcrimine concederent omnibus, qui ſcientiae ſtuduiſſent, docere medicinam: laudat vero ſuperiora tempora, inprimis illa, quibus ipſe Salerni medicinae ſtuduerat. Iisque temporibus non Arabes ſequuti ſunt Salernitani in medicina docenda, ſed Graecos, inprimis GALENVM, operamque potiſſimum medicamentis dederunt. AEGIDIVS adeo omnem medici doctrinam expreſſe damnat, niſi ad medicamentorum ſcientiam pertineat. Eaque medicamenta erant ſumme compoſita atque pretioſa,

pretioſa, adeoque pauperibus haud apta. Theoreſcos GALENI libros medici horum temporum ignorabant: optime vero paruam artem, libros de methodo medendi et de adminiſtratione medicamentorum ſecundum loca callebant: medicamenta tamen a GALENO laudata ſimplicia raro adhibebant, ſed ſuas potius compoſitiones. Venditabant quoque medicamenta ſua exteris celebratiſſimaque Salernitanorum medicamentorum mercatura erat, ita vt etiam Monſpelienſes, quibus iam his temporibus plurima erat medicamentorum mercatura, omni opera data ſuſpectas Salernitanas medicinas redderent. Imitabantur, et quidem expreſſe monente AEGIDIO, venalis quaeſtus gratia quoque Salernitanum ſanitatis regimen, vt medicamentis ſuis et ſcientiae maiorem famam conciliarent. Generatim ex his, quae AEGIDIVS de Salernitana ſchola perhibet, liquet, antiquiorem ſcholam, qualis temporibus CONSTANTINI et ante ei fuerat, praeſtantiorem fuiſſe; fuiſſe quoque praeſtantem temporibus, quibus AEGIDIVS Salerni ſtudebat medicinae, quibus PETRVS MVSANDINVS, PLATEARIVS atque MAVRVS docentium munere fungebantur; habuiſſe ſcholam Salernitanam iam his temporibus rectorem ſuum aliosque officiales; quique medicinam exercere volebant, a Salernitanis doctoribus eſſe examinatos. Erant quoque iam AEGIDII temporibus, qui medicamenta praepararent atque venderent, confectionarii atque ſtationarii.

p. 60. His omnibus non ſine ſtudio plurimo expoſitis enarrantur medici Salernitani, qui poſt Conſtantinum vſque ad Aegidii tempora floruerunt, NICOLAVS, IOANNES PLATEARIVS, MVSANDINVS, MAVRVS, IOANNES CASTALIVS, SALOMON, RICARDVS, SALADINVS ASCVLANVS, et mulieres ABELLA, MERCVRIADIS, REBECCA atque TROTVLA.

Salernitanam ſcholam quum FRIDERICVS II. Romanorum imperator ampliſſimis ornaſſet priuilegiis ſtudio-

ſtudiorumque vniuerſitatem Neapolitanam condidiſſet, fama Salernitanae ſcholae in immenſum creuit. Fuere ab antiquis temporibus iam Neapoli doctores, quos in vnum, et in vniuerſale quidem ſtudium redegit optimus imperator anno MCCXXIV. Datis ſalariis ampliſſimis donariisque magiſtri celeberrimi conducebantur, et in ciuili quidem ſcientia magiſter ROBERTVS DE VARANO et PETRVS DE HIBERNIA. Caſinenſe monaſterium theologiae profeſſores dabat. Quinam primi medicinae magiſtri in Neapolitano ſtudio fuerint, ignoratur. Nulli ſcholari legendi cauſa exire licebat extra regnum, nec in ipſo regno addiſcere licebat alibi, vel docere, prouinciarumque adminiſtratores adeo grammatices diſciplinam hac lege eſſe comprehenſam putabant.

Salernitana medicinalis ſchola his priuilegiis Neapolitano ſtudio conceſſis nil detrimenti accepit. Retinuerunt potius poſt Neapolitanum ſtudium conditum Salernitani immunitatem medicinae practicae candidatis poſt examina collegiique approbationem medicinae exercendae licentiam in terris FRIDERICI imperio ſubditis concedendi, quo priuilegio Neapolitani medici non gauiſi ſunt, neque noſtro tempore gaudent, examinis enim ius quidem habent, candidati vero, literis a medicis acceptis, ab ipſo rege, aut a regni ſupremo cancellario doctoratus dignitate ornantur.

Conſtitutiones a ROGERIO et GVILIELMO nec non a ſe ipſo datas anno MCCXXXI promulgauit FRIDERICVS, collectas a PETRO DE VINEIS, cancellario ſuo. Eaeque leges primum exemplum rerum medicinalium publica et legali auctoritate inſtructarum exhibent. Tyro ſecundum eas, priusquam medicinae ſtuderet, logicae per triennium operam dare debebat, quo exacto ſtudium medicum quinque annorum praeceptum erat. Neque tunc ad praxin ipſam admittebatur,

batur, nisi per annum integrum cum consilio exper medici practicasset. Tunc in conuentu publico Salernitanorum, aut Neapolitanorum medicorum examinato praxeos licentia dabatur, et post iusiurandum quidem praestitum, quo pollicebatur, se formam curiae hactenus obseruatam seruaturum, denunciaturumque, si aliquis confectionarius medicamenta sua minus bene fecerit: se tandem pauperibus confecta sua gratis daturum. Et haec instituta Doctorum deinde titulo ansam dederunt, qui Friderici temporibus non nisi docentibus erat proprius. Magistri in medicina titulus iam his temporibus etiam his dabatur, qui non in medicina legebant, sed qui se in scientia sua versatos esse per examina probauerant. Doctorum vero titulus sensu, quo nunc sumitur, hoc culo demum XIV inualuit; prima vero initia hunc titulum e Salernitana et Neapolitana schola sumsisse inde quoque liquet, quod nostris adhuc temporibus apud Salernitanos et Neapolitanos ad Doctoris titulum nil amplius requiratur, quam quod post has leges a FRIDERICO datas candidatis praestandum erat.

p. 79. Patet porro ex FRIDERICI legibus, medicinam his temporibus non secundum Saracenorum placita, sed ad HIPPOCRATIS et GALENI praecepta esse traditam, fuisseque libros horum medicorum in scholis inprimis aestimatos, qui authentici vocabantur. Medicis cum confectionariis, lucri causa, societatem inire non licebat: medicorum vero ad confectiones testimonium necessarium erat: dispensatorium prostabat, in quo confectiones praescriptae erant earumque conficiendarum modi, iuramentoque tenebantur confectionarii, vt confectiones suas secundum praescriptam formam facerent, sine fraude. Stationarii, a confectionariis distincti, medicinas in apothecis praeparatas vendebant. Numerus stationum in regno certus erat, neque omnes vrbes stationes habebant. Et is-

que,

que, quae omnia in hoc libro copioſe exponuntur atque probantur, liquet primas rei pharmaceuticae iuſto modo ordinatae origines e Salerno et Neapoli eſſe repetendas. Nullus chirurgus per eandem legem ad praxin artis ſuae admittebatur, niſi per annum in ea medicinae parte, quae chirurgiae inſtruit facultatem, ſtuduiſſet et anatomen, praeſertim humanorum corporum, didiciſſet. Eaque a ſe eſſe facta, teſtimoniis medicorum Salernitanorum aut Neapolitanorum probare debebat.

Summa vero vtilitas, quam Salernitanum ſtudium ex his FRIDERICI conſtitutionibus accepit, haec eſt, vt vi legis prius a FRIDERICO latae nulli liceret in terris ſuo imperio ſubditis medicinam exercere, niſi Salerni ei ſtuduiſſet. Alia lex, eaque ſerius data, poſt Neapolitanum ſtudium conditum, huic eadem priuilegia vindicat. ROBERTVS poſtea rex ineunte ſaeculo XIV Neapolitanum ſtudium reformauit, ſimulque *omnes ſcholas vbilibet infra regnum interdixit*, excepto tamen ſtudio medico Salernitano. Eademque FRIDERICI priuilegia Salernitanis atque Neapolitanis poſtea ſaepius confirmata et vario modo aucta ſunt.

His omnibus praemiſſis medici Salernitani, qui p. 87.
aut docendo, aut libris ſcriptis inclaruerunt, enarrantur, IOANNES DE PROCIDA, MATTHAEVS SILVATICVS, IO. NIC. DE ROGERIIS, FRANC. ALPHANVS, BENVENVTVS GRASSIO, ARNALDVS DE VILLANOVA, LANFRANCVS, PAVLVS GRISIGNANVS, multique alii.

De regiminis ſanitatis Salernitani auctore librisque p. 93.
ſcriptis editisque nunc agitur. Saeculo ineunte XII hoc carmen eſſe compoſitum et quidem a magiſtro quodam Salerni, conſentiente et approbante tota ſchola, certum eſt. In codicibus huius carminis quibusdam ſcriptis, et quidem non antiquiſſimis, auctor eius fuiſſe fertur IOANNES quidam DE MEDIOLANO,

ſed nec ſcitur, quis hic fuerit, nec quando vixerit. Libri ſcripti huius carminis antiquiores nomen IOANNIS non exhibent, neque ARNALDVS DE VILLA NOVA, qui anno MCCCLXIII fato functus eſt, atque copioſiſſimos in hoc carmen commentarios conſcripſit, eius auctorem memorat: a doctoribus Salernitanis, et in gratiam quidem regis Angliae conſcriptum eſſe dicit. Hinc iuſta vtique eſt de IOANNE carminis auctore dubitatio, ad quod componendum contulisse plures, aut omnes Salernitanos magiſtros probabilior et vero ſimilior eſt opinio.

Fama vero carmen, poſtquam fuerat in lucem emiſſum, non parua floruit. Imitati ſunt illud ſcholae Monſpelienſis atque Pariſina, multique medici, regimina ſanitatis ſermone non ligato ſcribentes. Codicum manuſcriptorum multitudo, verſuumque in omnibus codicibus numerus impar ſatis docent, hoc carmen creberrimae lectionis olim fuiſſe.

p. 98. Verior eius titulus eſt: *Regimen ſanitatis Salerni.* In verſuum numero codices infinite variant. Probatiores cum ARNALDI commentario, qui carmen tale dedit, quale prima ſaeculi XIV parte fuerat, CCCLXIV verſus habent: ſunt vero etiam, qui MLXXIII et MCCXXXIX verſus habeant. Cauſa vix profunde latet tantae diuerſitatis, monachi enim, deſcribentes carmen, ſuos verſus addiderunt. Commentariorum in regimen ſanitatis Salerni artifex proprie vnicus extitit, ex quo reliqui omnes ſua hauſerunt, quemque auxerunt ſequentes, ARNALDVS DE VILLANOVA. Scripta in popularem vſum haec ARNALDI expoſitio eſt, neque carminis loca difficilia, quibus non caret, ſed potius praecepta diaetetica illuſtrantur. Poſtea IOANNES CVRIO, adſcito in laborum ſocietatem IACOBO CRELLIO, ARNALDI commentarios dilatauerunt, nouos etiam quosdam verſus addiderunt, vt adeo cum editionibus regiminis Salernitani horum virorum

nouis

noua interpolatarum ſeries incipiat. COSTANSONIVS deinde, atque RENATVS MOREAU ARNALDI labores iterum dilatatiores ediderunt. Omnes vero hi commentarii ad ipſum carmen intelligendum parum conferunt, quum praecepta diaetetica in regimine Salernitano expoſita ad Galeni et Arabum mentem illuſtrata tantum contineant.

Codices regiminis Salernitani permulti extant, ſed valde antiqui vix multi. Editiones in ſex claſſes diuiſit Noſter, nempe 1) in antiquas cum commentariis ARNALDI, in quibus nec carminis verſus, nec ipſi commentarii, nouis acceſſionibus aucti ſunt, quasque textum eum continere, quem medici Salernitani ediderunt, credibile eſt, 2) in antiquas ad annum vſque MDXXXIII, quae textum ſine commentariis continent; 3) in editiones ſtudio IOANNIS CVRIONIS et IACOBI CRELLII in lucem emiſſas ab anno inde MDXXXIII; 4) editio a RENATO MOREAU in lucem emiſſa; 5) editiones recentiores; 6) carminis verſiones in linguas alias. Editionum, quas Noſter a pag. 112. vſque ad pag. 136 memorat, immenſa vis eſt.

Nunc peculiari diſſertatione *de verſibus rhythmicis et carmine Leonino* agitur. Deſcitum eſt in barbaris medii aeui temporibus a priſco ingeniorum cultu, non quoniam ingenia hominibus deerant, verum ingeniis exempla. In poetica inprimis alius ſenſim carminum componendorum modus inualuit, quo puritati verſuique minor, numero vero, rhythmum vocant, maior cura impendi ſolebat. Idque carminis genus, quod iam ſaeculo IV cultores quosdam habuit, octauo praeſertim ſaeculo maxime inualuit. Habebant quidem iam Romani verſus in medio et in fine conſonantes, qui vero caſu quodam forſan poetis exciderunt, aut ad imitationem Feſcenninorum carminum verſuumque conſonantium, quibus ruricolae vtebantur, compoſiti fuerunt. p. 137.

Muſici concentus inſtrumentalisque muſices cum vocali connubium, in chriſtianorum templis vſitatum, non parum ad rhythmicos et ad muſicas modulationes magis idoneos verſus contuliſſe videtur. Muſicae ſcientiae exiſtimatio ſumma erat: qui pſallendi et canendi peritiam habebant, maximi habebantur: facique hymni, vt et inſtrumentali muſicae melius reſponderent, et harmonia quaedam gratusque ſoni, quem inſtrumenta vocesque hominum emittebant, concentus naſceretur, ſimulque clericorum memoria non nimis fatigaretur, ſenſim in rhythmorum modum confici coeperunt. Antiquiſſimum huius generis rhythmum pſalmus exhibet a S. AVGVSTINO circa annum CCCXCIII elaboratus, in quo et rhythmus erat, et ſingulis rhythmis litera ſua initialis eo ordine, quo in alphabeto proſtant. Hunc pſalmum rhythmicum darium ipſe AVGVSTINVS vocat.

p. 143. Habuere quidem Itali rhythmicos verſus ante Saracenorum in terras ſuas incurſum, ſed auctam eſſe rhythmizandi artem per eorum carmina, quae plurimum rhythmum habebant, negari non poteſt. Et ex ipſo modo, quo carmina Arabum cadunt atque verſus in iis terminantur, probatur, maiorem rhythmi varietatem in latinis carminibus, Arabicorum imitatione, naſci debuiſſe. Noſtra adeo Germanorum lingua, etſi rhythmum antiquiſſimis iam temporibus habuit, illum tamen et rhythmis Arabum et rhythmicis latinis carminibus auctum vidit, pluresque hymnorum ſacrorum, noſtra lingua compoſitorum, quibus adhuc vtimur, melodiae per haec rhythmica carmina natae ſunt. LVTHERVS inprimis in vertendis in vernaculam antiquis hymnis latinis eorum rhythmum fere vbique ſtudioſe obſeruauit. — His omnibus praemiſſis Leoninorum verſuum et aliorum rhythmicorum carminum exempla plura eaque non illepida profert Cl. ACKERMANNVS.

Regimen

Regimen ipſum Salernitanum a pagina 155 incipit. Omiſſis commentariis omnibus Cl. ACKERMANNVS nihil addidit, quam capitum inſcriptiones, textu quidem recentiores, tamen legentibus, vt loca quaedam habeant, quibus a lectione requieſcere poſſint, non inutiles. Textum dedit, in quem ARNALDVS fuerat commentatus, adeoque probatiſſimum, ex antiquiſſima editione ante annum 1479 ſine loco et anno Louanii, in domo Ioannis de Weſtphalia in 4to impreſſa, antiquis tamen editionibus omnibus, quibus vti poterat, ſimul adhibitis. Codicem Mſ., qui in inſtructiſſima Altorfienſium bibliotheca Trewiana ſervatur, ſimul contulit, eoque modo textum priſcum eumque emaculatiorem edidit. Notas non addidit, niſi ad textum intelligendum plane neceſſarias.

XV.

Noua literaria.

I.

Academiae.

Academia imperial. ſcientiar. Petropolitana pro publico anni CIↃIↃCCXC. praemio propoſuerat:

